



Iust. Baldi ad viv. del. et sculp. Neap.

Digitized by Google

JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO
C A R M I N A. oo

Collegit


JOH. ANTONIUS SERGIUS.



Excudebat Johannes de Simone
NEAPOLI Anno CCCCCXLIL

Publica Auctoritate.

116/62/685



ERUDITO LECTORI

JOHANNES ANTONIUS SERGIUS

JURE CONSULTUS

S.



A est nonnullorum in judicando per-
versitas , atque ita fero Musisque ini-
mico animo insaniunt , ut nullum Ju-
reconsultis cum poëticis mitioribus
que studiis foedus esse ineundum au-
tument , indictaque causâ pronuncient .
Hi quidem , quoniam meliori homi-
num sensu satis repelluntur , suâque ipsorum tristitia
puniuntur abunde , diis suis iratis essent relinquendi .
Verum instituti a me suscepiti in hac sapientissimi
Jureconsulti Carminum quantivis precii editione cu-
randa , postulat ratio , ut ipso in Operis vestibulo ,
vulgarem hanc bonisque pernicirosam litteris opinio-
nem paucis saltē evellere aggrediar argumentis .
Atque illud primum statuendum , quisnam numeris
omnibus absolutus Jureconsultus sit existimandus . Si

a 2

enim

enim illum accipimus , virum agresti quadam doctrinâ squalentem ; quique , ad tanti nominis tuendum decus , satis superque ducat Juris artem ex inquinatis barbarorum haurire lacunis , & rabulam in foro tumidum ac ferocem agendo , miseris omnia garrulitatis permiscere ; nae ego cum hisce Poëtarum hostibus in unam eamdemque pedibus etiam ibo sententiam . Quandoquidem vero non ita desipimus , & perfectum Jureconsultum illum animo effingimus , qui publici & privati , Romani ac patrii Juris sit peritus ; quique , ut nunc plerumque mos obtinet , & deletâ Republicâ , sub Imperatoribus invaluit , non abhorreat ab Eloquentiae cultu (1) ut possit nedum jus suum cuique tribuere , sed ab improborum etiam conatus tueri ac defendere ; dicam quod sentio , non modo non inutilis , sed perquam etiam necessaria Jurisprudentiae cum laetioribus hisce litteris amica conspiratio merito est judicanda . Et sane , quid censores isti vitio creati reprehendere possint , prorsus non video , cum objiciam , Jus nostrum non ex insuavis sermonis quisquiliis , Gothorumque colluvie , sed e puris putisque Latinae linguae fontibus defluxisse ? Quod cum ita sit , quanam ratione poterit non dicam imbibiri , sed ne primoribus quidem labris degustari , nisi ipsamet Romanorum cogi-

(1) Inde *dilectissimi* elogium veteribus JCtis frequenter adscriptum : Julianus *dilectissimus* Jurisperitus in l. 5. C. de Bon. quae liber. Ulpianus & Papinianus viri *dilectissimi* l. ult. C. de Inflit. & subflit. Quod posteriorum Principum , Iustiniani potissimum etate viguisse , non est cur exemplis confirmem.

cogitandi forma , ac beati illorum sermonis veneres & lepores , quibus praeſertim afflunt carmina , hauriantur penitus , & in succum veluti ac sanguinem convertantur ? Unde etiam vera & absoluta Eloquentia vires & lumina , unde copiam ubertatemque desumet , niſi e poëticis libris ac monumentis ? Si qui igitur ſunt ſacra facturi , puris ſeſe abluunt undis ; audebit ne quis illotis , ut ajunt , pedibus in Jurisprudentiae & Eloquentiae adyta penetrare; atque animo non praeparato neque excuto auguſtioribus hiſce ſeſe initiare mysteriis ? Cumqne nemo Poetā impensis , arti ſuae modo velit consulere , humani pectoris intimos abditosque colluſtret recessus , ut affabre affectus exprimat imiteturque ; quaenam facultas Oratori ac Jurisperito utilior , quam quae interiores motus vestigans rimatur atque excitat , ut quo velit , ad honesti cultum perducere poſſit & inflammarē ? Adhaec , ſi Jus Naturaे , & Gentium praeſertim ex populum consenſu deducitur moribusque ; penes quoſnam auctores , niſi apud Poëtas haec explicantur uberius , elegantioribusque coloribus depinguntur ? Nonne , his potiſſimum facibus praeēuntibus , magnus Hugo Grotius palmam omnibus in hac arena praeripuit ; qui que hanc quoque spartam exornarunt , Pufendorfius , & Barbeyracius ? Neque id factum immerito , ſed proprio jure : quem enim fugit , Poëtas primos fuiffe emendatores morum , ſocietatis , religionis , & legum conditores ?

*Silvestres homines ſacer interpresque deorum
Caedibus , & victu foedo deterruit Orpheus :
Diffus & Amphion , Thebanae conditor arcis ;
Saxa*

*Saxa movere sono testudinis , & prece blanda
 Ducere quo vellet . fuit haec sapientia quondam ,
 Publica privatis secernere , sacra profanis ;
 Concubitu prohibere vago ; dare jura maritis ;
 Oppida moliri ; leges incidere ligno.
 Sic honor , & nomen divinis Vatibus atque
 Carminibus venit (1) .*

Neque vero hic mihi caperata fronte tristisque supercilio Plato objiciatur , aut Lacedaemones ; quod ille e commentitia sua Republica Poëtas dimiserit ; hi vero ne suas quidem aures carminibus personare patarentur : non enim Poëticen universam infectabatur Philosophus , non Lacedaemonii ; sed eos dumtaxat , qui per fraudem atque impudentiam in Poëtarum nomen invaserant ; ut suavis succi specie longe lateque obscenum effunderent virus ; bonosque mores , & religionem anilium fabularum rugis inficerent . Ceteroquin Plato hujusmodi laudis in soluta etiam oratione (quod miraberis) fuit studiosissimus (2) . Hinc Thales , Parmenides , Pythagoras (3) aliique veteres Philosophi non modo physicam , sed morum quoque sapientiam carminibus condivere : Et Terpander Antissaicus , Clemente Alexandrino teste (3) Lacedaemoniorum leges

(1) Horat. in *Arte Poët.* v. 391.

(2) In duobus tantummodo Dialogis ceterorum fortasse brevissimis , quorum unus inscribitur l'aw , alter l'orpias , quinque & quinquaginta versus ex Homero Platoni citasse , compertum est . Immo & in soluta oratione poetico stilo usum fuisse , satis liquet . Videlis Cl. Riccius , *Dissert. Homerica. V. de Platone Homerum e Republica dimittente* ; & Gallicas Dissertationes in *Memor. Acad. Inscript.* tom 3. *Parallelæ d' Homere & de Platon* , & *Dissertation sur l'usage , que Platon fait des Poëtes* .

(3) Diog. Laërt.

(4) Στραπερταν A. pag. 308.

leges metris devinxit . Quin ipsimet Charondas (1) & Solon numeris complexi sunt Jura (2) & XII. Tabularum leges a Romanis, *ut necessarium carmen*, ad discebantur (3). Poësis igitur a Philosophia non discessit , nisi inclinatiis deterioribusque temporibus, cum flos ille elegans nec delibatus Graecae , Latinæque sapientiae jam emarcuisset . Sed non ita Oratori simul ac Jureconsulto adhaeret haec facultas , ut non ad illum quoque peculiari nomine pertineat , qui jurisdictioni praeest & cui sententia in causis controversisque sit ferenda . Ac profecto si Poëtarum animis quidam insunt sublimes spiritus & sacer impetus , qui ingenio facem praeferant , vividoque conatu impellant , quin & futuri etiam caliginem discutiant & recludant : hujusmodi sane collustrata mens magistratui apprime utilis , ut rerum nexus & circumstantias celeri assequatur motu , futurosque etiam eventus possit conjicere , iisque judicandi lege præmatute occurrere . Quod si non argumentorum rationumque pondere , sed testimonii exemplisque sit disputandum ; locupletissimos excitabo testes , Ora-tores cum Graecos , tum Latinos ; ac Demosthenem præsertim , M. Tullium , & C. Plinium Caecilium Secundum appellabo . Nonne igitur Demosthenes (4) ad Euripidis , & Sophoclis carmina sese conformavit ? Et quisnam M. Tullii , qui summus Orator & in Jure verfa-

(1) Bentlejus in *Apologia Dissertationis de Epist. Phalaridis* Anglice edita .

(2) Plutarchus in ejus vita nonnulla carmina in medium profert , quibus Atheniensium leges aggrediebatur .

(3) Cic. *de Legib.* II. 23. Budaeus ad I. 2. §. 46 de O. J.

(4) Orationem Demosthenis non ob defectum verborum , sed ob sermonis μυστική , sive μεμονία Sirenibus fuisse ab Aeschine comparatam , auctor est Dionys. Halicarnass. τις Σωρθέους ὄνομάτων .

versatus (1) non mediocriter, conatus ignorat, ut hanc etiam lauream assequeretur ? *Est enim*, ut ipse ajebat (2) *finitimus Oratori Poëta, numeris adstrictior paullo, verborum autem licentia liberior; multis vero ornandi generibus socius ac pene par.* Plini vero, qui sollers Orator fuit & perpolitus, Epistolas relegenti apparet protinus, quantos poëticos spiritus animo conceperit; ut non prosa tantum eloquentia, sed numeris adstricta quoque, pro temporum conditione, praestaret; & quam impense inculcaverit Oratori hujusmodi exercitationem, *Volo*, Cornelio Fusco scribens (3) *interdum aliquem ex historia locum apprehendas: volo epistolam diligentius sribas.* Nam saepe in orationes quoque non historica modo, sed prope poëtica descriptionum necessitas incidit; Et pressus sermo purusque ex epistolis petitur. Fas est Et carmine remitti, non dico, continuo Et longo (id enim perfici nisi in ocio non potest) sed hoc arguto Et brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur, sed bi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria, consequuntur. Mox paucis interjectis : Itaque summi Oratores, summi etiam viri sic se aut exercebant, aut delectabant: imo delectabant exercebantque. Nam mirum est, ut bis opusculis animus intendatur, remittaturque: recipiunt enim

(1) Quintil. *Instit. Orat.* XII. 3. diserte scribit : *M. Tullius non modo inter agendum nunquam est defititus scientia Juris, sed etiam componere aliquis de eo cooperat.* Quin ipsem Cicero de *Orat.* I. 42. sub persona Crassi pollicetur, se Jus Civile in artem redactum; ac in libris de *Rep.* & de *Legibus* permulta assert ad Romanum Jus spectantia; quamvis Jus non fuerit professus. Pro L. Murena igitur, causae inserviens, contraria disputavit.

(2) *De Orat.* I. 16.

(3) *Epiſt.* VII. 9.

enim amores , odia , iras , misericordiam , urbanitatem , omnia denique , quae in vita , atque etiam in foro causisque versantur . Adversus vero Poëseos obtructatores ita se communit exemplis (1) An ego verear (neminem viventium , ne quam in speciem adulatio[n]is incidam , nominabo) sed ego verear , ne me non satis deceat quod decait M. Tullium , Cajum Calvum , Afinium Pollionem , Marcum Messaliam , Q. Hortensium , M. Brutum , L. Syllam , Quintum Catulum , Quintum Scaevolam , Servium Sulpitium , Varonem , Torquatum , immo Torquatos , C. Memmum , Lentulum , Gaetulicum , Annaeum Senecam , & proxime Verginium Rufum : & si non sufficiunt exempla privata , divum Julium , divum Augustum , divum Nervam , T. Caesarem? Neronem enim transeo , quamvis sciām non corrumpi in deterius , quae aliquando etiam a malis , sed honesta manere , quae saepius a bonis fiunt . Plinio subnectam M. Fabium Quintilianum (2) qui plurimum pariter , ex Theophrasti sententia , eamdem Oratori conferre scribit Poëtarum lectionem : Namque ab his & in rebus spiritus , & in verbis sublimitas , & in affectibus motus omnis , & in personis decor petitur ; praecipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia , optime rerum talium blanditiā reparantur . Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat . Idemque Quintilianus , sive quisquis est auctor Dialogi de Oratoribus (3) : Exigitur

b

(1) Epist. V. 3.

(2) In his. Orator. X. 1.

(3) Sive de Causis corruptae Eloquentiae 20.

tur enim jam ab Oratore etiam poëticus decor, non Attii, aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Homeris, & Virgilii, & Lucani sacrario prolatus. Quibus elegantiarum venustus Arbiter adstipulatur (1):

*det primos veribus annos,
Maconiumque bibat felici pectori fontem;
Mox & Socratico plenus grege, mutet babenas
Liber, & ingentis quatiat Demosthenis arma.
Hinc Romana manus circumfluat, & modo Grajo
Exonerata sono mutet suffusa saporem:
Interdum subducta foro det pagina versum (2).*

Inde legimus, M. Annaeum Lucanum, D. Junium Juvenalem, C. Silium Italicum, & Aurel. Prudentium Clementem, non carminum modo, sed forensis etiam Eloquentiae viribus inclaruisse. At enim objecerit quispiam, nimis grave onus imponi Jureconsulto; verendum iccirco, ne rerum multitudine obruto non vacet Themidi atque Apollini simul litare. Verum enim vero aut me omnia fallunt, aut omnium stultissimae hae nugatorum voces sunt reputandae. Vacavit ne, ut ceteros praeteream, M. Tullio Ciceroni agendarum causarum gravi ingentique cura districto, inter Catilinae sicas inter

(1) T. Petronius Arbiter in *Satyric.* 5.

(2) Ita legunt Heinlius & Cl. Burmannus, non vero, *det pagina cursum*: *Quid enim quaeſo* (inquit Burmannus) *notat, det pagina cursum?* Idem autem innuit noster *infra 118*: *Sic forensibus ministeritis exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem, tamquam ad portum faciliorem, refugerunt.*

**inter Clodii tribunicios furores, cum tota Reipubli-
cæ Romanique Orbis moles in ejus sapientiam in-
cumberet, tantum operae mansuetioribus studiis im-
pendere; non vacabit Juri operam dantibus, hi-
scē simul litteris mentem colere atque exornare?
Non vacabit quidem, sed non iniquis temporis
angustiis; verum quod ocio turpique inertia re-
prehensores isti ut plurimum diffluentes, alea,
spectaculis, nocturnisque de more coetibus & co-
messationibus, voluptatum illecebris & lenociniis, flo-
rem infeliciter conterunt juventutis. Quod si oscitan-
tis sapientiae (stultiae an nugacissimæ?) eos lu-
bido incesserit; doctrinarum nescio quibus epitо-
mis & lexicis, Circaeis veluti poculis, deliniti, tri-
duo, si diis placet, se fieri jactitant Philosophos &
Jureconsultos. At quisnam tam sui admirator fuit,
quisnam eo arrogantiae processit, ut immortalitatem
quam studia pollicentur, desidiā assequi posse con-
fidat? Instar Helenæ, quam in rosa cubantem,
propter formæ elegantiam, easdem immortalium se-
des, quas fortis Hercules tot tantisque exantlatis
laboribus adscenderat, scribunt suisse assēcutam.
Quae cum ita sint, mirum profecto haud erit, si Ju-
ris nostri *lumina* & *numina* (utar verbis Antonii (1)
Fabri) veteres scilicet Prudentes poëtica etiam floruisse
exercitatione exploratum est. Appius Claudius Coecus,
callidus sollersque Juris atque Eloquentiae Consultus
(2) Censor primum, tum Romanus Consul, aequi bonique
scien-**

(1) In Praefatione Cod.

(2) Liv. X. 22.

sciebat, qua maximopere viguit, numerorum cultui conciliavit; & carmina Pythagoreorum doctrinā imbuta conscripsit (1). Hac pariter gloriā enituisse accepimus P. Quintum Scaevolam (2) a Cerbidio Scaevola diversum, & Q. Fabium Labeonem, cuius operā ipsummet usum fuisse Terentium in Comoediis concinnandis, scribit Donatus (3). C. vero Trebatio Testae, singulari memoria ac legum cognitione praedito, Ciceronis, qui eidem Topica inscripsit, & Q. Horatii Flacci familiaritate (4) conspicuo, sius etiam in hisce Musarum deliciis patuit locus amplissimus. Quid vero hic memorem Servium Sulpicium *longe omnium non ejusdem modo aetatis*, sed eorum etiam, qui fuisse, in *Jure Civili principem* (5): ita ut illius magnum usum & apud Scaevolam, & apud alios, artem vero in uno Sulpicio fuisse demiretur Tullius? Hic certe Jurisprudentiae adjunxit etiam litterarum scientiam, & loquendi elegantiam (6) quam ex Poëseos fonte, utcumque eā lasciviret, hancit expreflitque (7). Jurisconsultus tandem & Poëta fuit Herennius Modestinus, quem ajunt *τεπροχας* Virgiliano Operi adjecisse (8). Sed hujusmodi suaviloquentiae studium omnibus fere nostris Prudentibus commune fuisse, ex eo pariter primum erit colligere, quod in ipsis de

(1) Cic. *Tuscul.* IV. 2.

(2) Plin. *Epiſt.* V. 3. Pancirol. *de Clar. leg. Interpr.* I. 9.

(3) Ael. Donat. sive, ut aliis videtur, Suetonius Tranquillus in *Vita Pub. Terentii*.

(4) *Satyr.* II. 1. ad Trebatium scribit, eumque v. 12. *patrem apsum*, & v. 78. *dolatum appellat*.

(5) Cic. in *Brut.* 41.

(6) Ibid. 42.

(7) P. Ovid. *Trist.* II. v. 441.

Nec minus Horrenſi, nec minus improba Servi

Carmina. quis dubiter nomina tanta sequi?

(8) Joh. Bertrandus de *Jurisperit.* I. 31. Gulielm. Grotius de *Vit. JC.* II. 32. Scip. Gentil. in *Parerg. ad Pand.* II. 31.

de Jure responsis poëticam haud raro dictionem; Græcam interdum *εὐταξίη* usurpaverint; versus effuderint (1); ad Enni (2) Lucretii (3) & Virgilii (4) carmina adluferint; & maxima semper apud eosdem Homeri fuerit auctoritas (5). Quinimo ipso etiam in Canonum Syntagma Poëtarum interdum carmina occurrunt (6). Sapienter igitur Juris Interpretibus in haec pariter studia

incum-

(1) Adess, si lubet, Scipionem Gentilem in *Parerg.* ad Pandect. II. 31. qui productis exemplis haec confirmat.

(2) Pomponius I. 2. §. 38. de O. J. *Sextum*, inquit, *Aelium* etiam *Ennius laudavit*: illum Ennius verbum intelligens, cuius saepe meminit M. Tullius, *Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus.*

(3) Ulpianus I. 23. ad L. Jul. de *Adult.* dum inquit: *Lebo quoque ita probat, & Pomponius scribit, in ipsi rebus Veneris deprehensum occidi;* & hoc est quod Solo & Draco dicunt in iijy, frequenter *Lucretii* dictionem usurpat II. v. 173.

Ut res per Veneris blanditiam faceta propagent.

& ibid. v. 922.

(4) Virgilii meminit Marcianus, de *cenotaphio* respondens I. 6. §. fin. de *Rer. divis.* Florentinus I. 65. de *Verb.* oblig. Leo quoque & Anthemius Imp. in I. 31. C. de *Epist.* & *Cler.* Virgilianum illud, *aurea sacra fames*, usurparunt.

(5) Homeri versus de *Permutatione* & *emtione* adducit Paulus I. 1. §. 1. de *Constrab. ens.* & *Imp.* Julianus *Instit.* III. 24. §. 2. de *Emt.* & *vend.* de Mortis causa donatio Marcianus I. 4. eod. tit. Quid idem Julianus *Instit.* II. 7. §. 1. ipsa Homeri carmina profert. de *Grege* ipsem Marcianus I. 65. §. 4. de *legat.* 3. de *Nominibus affinitatis* Modestinus I. 4. §. 6. de *Grad.* de *Amore inter conjuges* & de *matrimonio* Ulpianus I. 13. §. 1. ad L. Jul. de *Adult.* de *Exilio voluntario* Claudius Saturninus I. 16. §. 8. de *Poen.* de *Veneatis* Caius I. 235. de V. S. Ulyssis lecti ab Homero descripti memor est Papinianus I. 9. §. 1. de *Supell. legat.* Inde, pro suo more, deducit Accursius in d. I. 6. de *Rer. divis.* *Quod auctoritates Poëtarum sint in causis allegandae.* Et Franciscus de Petr. *festiv. lec. III. 12.* Accursii loca aggerit, in quibus Poëtarum versibus usus est.

(6) In c. *Nec mirum* 13. 6. *Magi* 26. q. 5. afferuntur versus Lucani *Pharsal.* VI. 457. & seq.

Mens hausti nulla janie polluta veneni.

Incantata perit.

In c. *Legimus* 30. dist. V. de *Consecrat.* *Irrides Horatius appetitum ciborum*, qui *consumsi* *relinquunt* *poenitentiam*. c. *Numquam* 33. Ibid. Virgilii versus *Georg.* I. 109. adducuntur.

Ecce supercilio clivisi tramitis undam

Elicit: illa cadens raucum per levia murmur.

Saxa ciet, scatebrisque arenitia temperat arva.

Et Gregorius IX. *Decretal.* V. cap. *Forus* 10. de V. S. *Lis autem a contentione limitis primum nomen sumbit, de qua Virgilius,*

Limes erat postius &c.

Aeneid. XII. 893. *versus* *illum intelligens*

Limes agro postius, litem ut discerneret arvis.

incumbere apprime necessarium visum fuit. Jam Bononiensis schola legum scientiā , ut ea tempora , celeberrima evaserat ; cum Cinus Pistoriensis enituit Jurisprudentiae non minus, quam Etrusca Poësi spectatissimus : adeo ut Franciscus Petrarcha , Etruscae fidicen lyrae , non semel hoc eum potissimum nomine comendaverit (1) . Cum vero mox in Italia humanitatis doctrinaeque lux refulsisset ; quisnam, nisi Andreas Alciatus signum universae Europæ sincerae Romanarum legum interpretationis extulit , qui poëticis studiis summopere fuit subactus & enutritus? Neque vero fusius hic recensembo , quantum fuerint hisce sacris exercitati majorum gentium Juris Interpretates ; Antonius nempe Goveanus , Guelius Budaeus , Antonius Augustinus , Petrus Pithoeus , Stephanus Forcatulus , Janus Gruterus , Obertus Giphanius , Conradus Rittershusius , Hugo Grotius,

*Qui genus humanum ingenio superavit , & omneis
Restinxit stellas, exortus uti aetherius Sol* (2)
M. Antonius Muretus , Nicolaus Rigalius , Fridericus Brummerus , Jacobus Augustus Thuanus , Scipio Gentilis , Hermannus Vultejus , Aegidius Menagius , & egregia postremis temporibus Italiae decora & ornamenta Benedictus & Josephus Averanii (3) aliique hac gloria florentes , quorum laudes ingenii culpâ non deteram. Si vero

(1) In suis Etruscis Poëmatiis , 71.
Pianette, o donne, e con voi pianga Amore,
& 246.

Sennuccio mio, benché doglioso e solo.

(2) T. L. Carus IIII. v. 1056.

(3) Horum omnium exstant opera immortalitati tradita ; ubique gentium elogia leguntur .

vero argutuli isti contemtores tenebrionesque, qui ubi se
in Epicuri(1) compulerint gregem, tantâ in rem poëticam
diffusum animum habent improbitate, velint, ut in me-
dium conferam magna Neapolitanae gentis nostrae Jure-
consultorum nomina; producam ac recensebo perquam
lubenter. Atque, ut omittam Goffredum Beneventa-
num (2) & Petrum de Vineis (3) sub Friderico II.
Imperatore, qui Neapolitanum Lyceum excitavit
(4) insignes; vix sub Alphonso I. Aragonio Nea-
poli *Antoniana* Academia fuit ab Antonio Panor-
mita instituta, in quam Jovianus Pontanus ipsius a-
lumnus successit; cum repente, veterno quasi excusso,
profligata barbarie, laetior & cultior litterarum facies
apparuit; ingenuaeque artes in hanc Graecorum
quondam florentissimam pacis studiis civitatem, splendi-
dae ac triumphantes jure veluti postliminii remigrarunt.
Uberior inde atque auspiciator Poëtarum & Jurecon-
sultorum celebritas exstitit: quos inter ipse Antonius
Panormita (5) Jovianus Pontanus (6) Chariteus

(1)

(1) Inter Poëtos vituperatores Epicurus agmen ducit. Cic. de Fin.
I. 5. Epicurum sequuntur omnes, qui in ejus hortis gregatim pa-
scentes, & irato Apolline nati ne versum quidem emiserunt.

(2) Franc. de Petris loc. laud. n. 16.

(3) Anno C. CCCXXIV. *Histor. Civil. Regn. Neap.* XVI. 4.

(4) Petr. de Vin. *Epiſt.* III. 10. 11. 12. & 13.

(5) Antonius de Bononia, *Panormita* dictus, qui a Pontano *Amor.*
I. appellatur

decus elegantiarum,
Atque idem pater omnium leporum,
fuit Poeta laureatus, & R. Cameræ (sic vocant) Praeses. Toppo de
Orig. *Tribunal.* IV. 10. n. 3. & 4.

(6) Johannes Pontanus, *Jovianus Pontanus* Academicō more dictus,
Vates egregius, Ferdinandi I. Regis a secretis, & ab eodem R. Cameræ
Praeses creatus, & postmodum *Magni Camerarii Locumtenens* anno
C'CCCCCLXXIX. Topp. *ibid.* 13. n. 20. ex monumentis *Archivi Regiae*
Cameræ.

(1) Hieronymus Carbo (2) Franciscus Aelius Marchesius (3) aliique lauro non tantum, sed togae insignibus cohonestati. Etsi vero posterioribus temporibus harum litterarum decus fuerit imminutum; revixit tandem sub Carolo V. Imperatore: cuius rei, posthabitatis aliis, luculentissimum testem producam Scipionem Capycium, qui Carolum, Neapolitanum Lyceum invisentem, disertissima oratione excepit, & ab eo in Senatorum numerum fuit adlectus (4). Ac quamvis rursus inscitiae caligo, communis fati acerbitate, cunctam Europam invasisset; emicuerunt tamen inter tenebras homines non omnino inglorii neque obscuri, Juris & Poëeos decus affectantes; quos inter

Petrus

(1) Charitei (nomine ne, an cognomine ita appellati, incertum) existant carmina. Vide Crisp. & Cl. Joh Antoniu Vulpium in *Vita Sannaz.* Pontanus illi inscripsit librum de *Splendore*. Regis item Ferdinandi I. a secerteris fuit. Topp. in *Biblioth. Neapolit.* pag. 314. & Nicod. in *Addit.* pag. 58. Dum vero Rex Ferdinandus II. Neapolim anno 1524. adivit, medius inter Piscariae Marchionem & Chariteum equitavit. *Tutini dell' Orig. de Seggi di Napoli* pag. 225. Togae honore se fuisse ornatum, ipsemet Chariteus in suis Etrusciis carminibus satis innuit 204.

*De la Monica sterpe eximio honore
Ferrando, di versu virile ornato,
Tu con la tanza in mano, ed io togato
Funmo obsequenti a i Re pien di valore.*

(2) Hieronymus Carbo, Poeta & Jureconsultus. Borrel. in *Vind. Neap.* Nobilit. ad Ael. Marchel. de Neapol. famili. pag. 53. in familia de Carbonibus. Exstat ad Carbonem Elegia Pontani Eridan. I.

*Filiibus si coena placet tibi, candide Carbo,
Coeno payata tibi est, ruraque nostra patent. In cujus fine
Tu modo linque forum, linque & vadimonia, Carbo,
Tantis per, tibi dum rustica coena datur.*

(3) Franciscus Aelius Marchesius poëtico simul & legum studio excultus. Borrell. in adducti libri praefatione. Illius tumulo Pontanus epigramma inscripsit, cuius ultima carmina

Hoc illi meritum Musae post fata rependunt.

O Scriptor Latia nobilitate lyra.

(4) Scipio Capycius, Juris Antecessor in Gymnasio Neapolitano, & in Foro Senator. *Hist. Civil. Regn. Neap.* XXXII. 8.

Petrus La-Sena, Franciscus de Petris, & Laurentius Cras-sus (1). Verum inclinante superiore saeculo, nova quae-dam apud nos est reddita vita doctrinis, emersit tandem prisca Sapientiae dignitas, & ingens Jureconsultorum ac Poëtarum ubertas, quæ utramque Eloquentiam, unde fuerat a barbaris dejecta, restituit & amplifi-cavit. Atque, ut alios omittam, eosque dumtaxat recenseam, qui Jurisprudentiae carminum quoque cultum adjunxerunt; tunc temporis Carolus Bur-a-gna, cui revocatam Etruscam, Latinamque Poësim Neapolis referre debet acceptam, Nicolaus Caravi-ta, Franciscus Nicodemus, Januarius de Andreis, Caesar Natalis, Vincentius Vidmannus, Carolus Su-fanna, Seraphinus Biscardus, Cajetanus Argentius (cui quando ullum Jurisprudentia interioresque lit-terae invenient parem?) sapientissimus J. Vincentius Gravina, o' wa' n Carolus Majellus, Dominicus Aulisius, Alexander Riccardus, Basilius Janellus, Joseph Macrinus, Xaverius Pansutus, Josephus Valletta, Nicolaus Amen-ta, Hyacinthus Christophorus, Dominicus Gentilis, aliique, nostrâ aut patrum nostrorum memoriâ, severa-legum studia, quibus causarum patrociniis, judicandi, aut docendi munere distinebantur, carminibus etiam in-signi cum laude leniverunt. Atque hic mihi viven-tium Jureconsultorum laetior exundansque seges sub-orire-

(1) Floruerunt hi scilicet, compluresque alii in *Ocio, solum Academia*, que, ut ea ferebant tempora, sub Johanne Baptista Manfo, & Marino Ne-apoli inclaruit. Vide Latinum Poëma Johannis Baptiste de Alessandro, qui tribus haec libris complexus est; cuius meminit antiquitatum nostra-rum investigator doctissimus Joh. Bernardinus Tafurius delle Scienze, e dell'Arte inventate, illustrata, ed accresciuta nel Regno di Napoli.

oriretur ; si & eos , qui in vivis agunt , immortali-
que fama enitent , vellem nomina percensere : Ve-
rum illorum modestiae ingenuique pudoris ratio hoc
non patitur . Adsunt tamen togae pacisque decora
quamplurima , quae non minus Poëtices , quam Juris
egregia cognitione & gloria saeclis canescent innumerabili-
bus (1) . Jurisprudentia vero non adeo ingrati animi
vitio laborat , ut poëticae rei suas etiam opes non
commodet , illamque mutuo foedere non satagat exor-
nare . Certe quidem si per temporis angustias mihi
liceret , hoc collatis testimoniis facili negocio evin-
cere studerem (2) .

Quod si horum omnium , quae usque adhuc
sunt disputata , praesens vivensque argumentum re-
quiratur , en tibi , erudite Lector , Josephi Aurelii
de Januario tres *Carminum* libros . Is tantusque Clari-
fissimus Auctor in Jureconsultorum promicat cen-
su , ut nullis laudum indigens praeconiis , nativis pro-
priæ virtutis coloribus , non fucatis neque adsciti-
tiis sit abunde illustris . Ut tamen iis , quae confir-
manda suscepi , velifcer egregie ; hic equidem tacit-
tus non praeteribo , summam praeclarissimamque in
eo Juris , Eloquentiae , ac Poëseos enitescere coitio-
nem . Quod ad Jurisperitiam spectat , quis in hi-
ſe

(1) Plura de his dabimus in *Litteraria Historia Regni Neapolitanii* ,
quam meditamus , si tamen per fori curas dabitur .

(2) Unus omnium instar esse posse Q. Horatius Flaccus , in cuius
carminibus tanta Juris Civilis emicat cognitio , ut eum nonnulli Jurecon-
sultorum albo adscribere non dubitarint . Vide Cl. Hambergeri *Opuscu-
la ad elegansorem Jurisprudentiam pertinentia* , cum Praefatione de Ju-
risprudentia Q. Horatii Flacci , quam horum sacerorum mystagogus egre-
gius Job. Georgius Ebor adornavit , Lips. ann. CICLOCCXL.

sce studiis adeo est hospes & peregrinus , ut eum
ignoret esse hujus artis perquam consultissimum ; ne-
que extima quadam contentum aut circumforanea
cognitione , in sanctiores illius felici conatu pene-
trasse recessus : & quicquid in Jure latitat ab ulti-
ma scitu dignum antiquitate , solleerti acrique ingenio
eruisse ; ut non jejunam ac sterilem , sed Graecis
Romanisque lautitiis splendide locupletem legum co-
gnitionem in fori aciem exercitationemque deduce-
ret . Obsupuit proinde Neapolitanus Senatus ipsius-
met miram in dicendo vim , copiam atque uberta-
tem naturali quadam pulcritudine exsurgentem . Quam
vero expromta ac pene sponte sua diffluens in
eo adsit scribendi facultas , argumento satis superque
esse possent Orationes , Dissertationesque , quas pro
graviorum causarum , patriae praesertim patrociniis
Etrusco Latinoque sermone conscripsit , nisi *Juriscon-
sultorum* exstaret *Respublica* , aeternum cultioris Juris ,
Eloquentiae , Poëseos , ejusque laudum monumentum .
Cujus libri adeo protinus , nedum in Italia , sed in
eruditiori Europa universa ingens fama percrebuit , ut
Lipsiae post paucos annos typis reculsius celeberrimi
Ottonis Menkenii curâ , ab eodem totius Ger-
maniae lumine ipsimet Auctori singulari fuerit
exemplum inscriptus & dedicatus : Quae vero Menke-
nius in Epistola sit praefatus ; quod fuerit doctissimo-
rum Virorum , qui Eruditorum Acta Lipsiae quoque
pertexunt , candidum judicium ; quid de eo judica-
verit Italiae nostrae alter Varro , Ludovicus Anto-
nius Muratorius , prouum tibi , benevole Lector ,
erit dignoscere ex eorum scriptis , quae iccirco tibi
sisto , quod vix illis acceptis , felici carminis oestro

c, 2 rescri-

rescripsiterit Auctor : Nec vero intra solos Italiae, Germaniaeque fines sese *Respublica* continuit ; sed latius praetergressa , quantâ laudum copiâ a Bata- vis fuerit excepta , luculenter testatur eruditissimus Jacobus Philippus Dorvilius , qui in epistola ad cla- rissimum nostrum Franciscum Vallettam Amstelodami data Nonis Julii 1596. haec habet : *Cf. V.*
*Jos. Aurelii de Januario Respublica Jutorum non mihi tantum , sed nostratis omnibus egregie pla- cuit : utpote in qua & non vulgaris eruditio ubique effulgeat ; & lector semper novis doctrinae condimen- tis ad finem usque libri excipiatur . Viro praestan- tissimo precor meo nomine de praecellentí opere gra- tuleris . Quinimo in ipsomet nuperrimo libro Jurecon- fultissimi Heinecii , cui *Fundamenta stili cultioris* nomen fecit , *Reipublicae Jurisconsultorum* lectio studiosae juventuti ad stili cultum & nitorem com- mendatur (1) . Nos igitur in tanto litterarum lumi- ne illum non demiremur , tantique ingenii pignora avidissime non exosculemur ? At non usque adeo caligamus , non usque adeo iuvic litteraria nostra gloria pessumdata est ac consépta , ut eum , tam- quam firmum Jurisprudentiae , Eloquentiae , poli- tiorisque litteraturae , quin tamquam ingens Justi- tiae columnen , non suspiciamus . Cum enim ab acer- rimo ingeniorum aestimatore Rege nostro CARO-*

(1) In *Nova Praefatione cultioris* hujusmodi libelli, auro contra nō
cori, Lipsiae ann. CIDI^{CC}XXXVI. curatā haec habes. *Part. II. cap. 4.*
commendanda Josephi Aurelii de Januario Republica Itorium, cuius
editio secunda prodiit Lipsiae CIDI^{CC}XXXVIII. 8.

to BORBONIO , qui ad Regni moderationem Sapientiam sociam adscivit & administram , Neapolii Sexvir stlitibus judicandis fuerit electus ; incredibile est , quanto laudum , & justitiae cultu niteat ac efflorescat . Mihi certe de eo , quod de Aristone Plinius scripsit (5) potiori jure videtur esse pronunciantur : *Nihil est illo gravius , sanctius , doctius*

*Quam peritus ille & privati juris & publici ! quantum rerum ! quantum exemplorum ! quantum antiquitatis tenet ! Nihil est quod discere velis , quod ille docere non possit : mibi certe quoties aliquid abditum quaero , ille thesaurus est . Sed ut ad mitiora ejusdem studia deveniam , quantos poëticos spiritus Auctor pectore & mente conceperit , quam subitâ , Latinâ potissimum musâ , effuderit carmina , ipsamet *Respublica* , quae iis opportune ac jucunde personat , testatur egregie . Verum cum non omnia illic exstant , sed in variis dispartita vagarentur libris , dolebam atque angebar vehementer , quod non haec in unum collecta debitâ luce perfruerentur : Aestuabam vero magis hoc desiderio , & sollicitabar curâ , quod eum scirem , cum superiori anno , expediendi negotii causa , ad Brutios accessisset , nonnulla de Magistratus munere subsecivis horis effusisse . Quid vero consilii caperem , cum huic Collectioni ipsiusmet ingenua modestia severè obfisteret ? Animum prorsus despoidissimum , nisi sanctioris amicitiae icto foedere cum lectissimo Juvene Horatio*

(5) *Plin. Epist. I. 21.*

ratio de Januario Auctoris germano fratre , hic mihi
hujusmodi Carmina legenda dederit , atque ego do-
lo bono & innocua fraude in dias luminis oras eden-
da dedisse . En igitur meis ac tuis desideriis ,
Lector , abunde satisfactum . Opus in tres libros di-
spensatur : exhibit Primus nonnullos Elegos , quibus
mira perspicuitate ac suavitate Magistratus officia
complectitur , quem iccirco *Magistratus* nomine vi-
sum est inscribere ac nuncupare . In hoc autem argu-
mento egregius Auctor ita versatur , ut in ea inqui-
rens , quae ad perfectum Magistratum informan-
dum praeclare conductunt , in augustiora Philosophiae
sacraria penetret ; atque in minutiora quaeque ejus
officia ita cum dignitate descendat , ut confessim ad
ipsiusmet sublimiora munia assurgat atque efferatur .
Omnia vero eâ ordinis ratione disponit , eâ perspicuita-
tis luce explicat , ut si liberam orationem quispiam alias
adhibuisset , aptius , aut concinnius neutiquam certe com-
plecti potuisset . Adhaec , ipsamet argumenti in Poë-
si novitas , summam Operi afferens laudem , lectorem
allicit & detinet jucundissime . Quibus omnibus cum
accedat insuper veritas , & utilitas , egregia decora ,
Poëmatiis proprio jure adhaerentia (I) quaeque si
libros perpetuo comitarentur , eorum ingenti strue ,
ac insana mole , summo rei litterariae incommodo ,
quotidie non obrueremur ; equidem prorsus non vi-
deo ,

(1) Exstat de hoc cultioris eloquentiae egregium & immortale speci-
men , Oratio scilicet Cl. Jacobi Facciolati IX. qua Tulliana uber-
tate contendit , Moralem institutionem magis a Poëta , quam a Philoso-
phis esse repetendam .

deo , quidnam perfectius hoc in genere effici potuisset . Excipit hunc librum alter , cui *Nuptialis* nomen indiderunt , ex eo quod carmina in Nuptiis virorum principum edita complectatur . Mos obtinuit in Italia , & in hac nostra potissimum Civitate , ut cum majorum imaginibus insignes matrimonii foedera ineant , epithalamicos versus melioris notae Poëtae efflagitentur , quo in unum veluti floridum vernansque fertum innexi , literaria luce perfruantur . Cum igitur omnibus exploratum esset , quantum Noster hac facultate polleret ; vix ulla celebrior fuit horum Collectio , in quam suam etiam ut conferret symbolam , non fuerit expostulatus . Dedit autem , dum per fori curas licuit , carmina ita ingeniosa , ita perspicua ac propria , neque ex diversis aliorum hemistichiis aut laciniis male consuta (qui multorum ignobilis & inglorius mos est) ut cum in deliciis eorum omnium habita fuerint , qui hisce cupediis delectantur ; visum est etiam , uno veluti sub aspectu , tibi , candide Lector , hic exhibere . Tertius denique *Varia Carmina* continet , quae sese èdem prorsus facilitate & nitore commendant . Ingenium quippe Cl . de Januario ad omnia natum , in quaecumque ipse laudabilia velit convertere , versatur atque eminet .

Jam vero quod ad stilum spectat , non hic lasciviens atque enervis , non ineptis ac frigidis paronomasiis , & antithetis , non translationum monstrosis refertus , non horridus , non subagrestis ; sed ingenuus , venustus , perspicuus , puroque simillimus amni , in aures animosque dilabitur ; non pigmentis fisoque puerili illitus , sed narivo colore ac splendore nitidus , & dulci quadam suavitate delibutus , austernitatem

tatem , & quasi moestitiam sermonis , strigosaeque orationis solitudinem refugit atque aversatur .

Nec pluteum caedit , nec demorsos sapit ungues (1)
Neque hic mihi , nescio , quam Veterum scribendi insolentem rationem quis obtrudat . Aureum quippe antiquitatis ingenium veneramur ; scimus tamen , eos , qui inter Latinos scripsérunt primi , hos aspere & incondite loquutos ; hanc tamen duritiem , deterso luridae rubiginis squalore , sequens aetas mitigavit . Lucretio lenior multo Virgilius in hexametris . In elegis cultior docto Catullo Propertius , Tibullus , Ovidius ; & sub Augusto , quo ad extremum dignitatis gradum Latina Poësis erecta est , teretes Romanorum aures ab hujusmodi confragosae orationis dumetis abhorruerunt .

Non satis est , pulcra esse poëmata , dulcia sunt (2).
Quamvis vero renatis auspicio fidere litteris sub Alphonso I. Aragonio Rege nostro sapientissimo , & Leone X. perpauci hanc etiam asperitatem affectaverint ; respuerunt vero in Elegia potissimum Pontanus , & Sannazarius , atque inter recentiores elegiographos princeps , Marius Molsa , omnesque fere illius heroici temporis Poëtae ; respuit hac aetate laeta & concinna Tibulliana venustas Johannis Antonii Vulpii , quem honoris & amplitudinis causâ nomino , ceterique hac laude paeclarissimi . At non hic quicquam eorum famae

(1) A. Persius Sat. I. v. 106. Mibi certe , pro ea , qua me amicitia dignatur , Cl. Auctor dicere posset , quod Pollio P. Papinius Statius in epistola praemissa Silvar. lib. III. *Com scias , multos (verfus) ex illis in finu suo subito natos ; & banc audaciam filii nostri frequenter expaveas*

(2) Horat. in Art. v. 99.

famae detractum velim, qui horridulum scribendi genus adamarint, cum sit quisque laudandus, modo perfectus in forma operis sui: aequa ac in pictura celebrantur, qui suo stilo eminent praestantque. Illud igitur reliquum est, ut Italiae universae, in qua veluti in proprio solo Latina Poësis comprehendit, plaudam vehementer, quod hoc saeculo ejus cultus, obstrepente ne quicquam semidocitorum turba, non sit deminutus; quinimo sartam tectamque hac Carminum editione a majoribus traditam dignitatem tueatur & augeat. Quod autem ad maleferiatorum hominum improbitatem attinet, sinamus eos infanire cum suis. His scilicet e trivio & vulgi medio erepentes harum rerum idonei judices nusquam erunt: Allatrent, per nos licet, quae asséqui nequeunt; sius semper bonis litteris constabit honos & decus. Quisquis vero non operosam gloriam reputaverit hanc in scribendo facilitatem lenitatemque asséqui, vereor ne cum periculum faciet, irrita ac vana spe deludatur,

*ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem (1).*

Tum profecto

*bellus ille, & urbanus
Suffenus unus caprimulgus, aut fossor.
Rur-*

(1) Horat. ibid. v. 240.

*Rorsus videtur, tantum abhorret, ac matet
Idem inficeto est inficior rure,
Simul poemata attigit (1).*

Neque enim ad hanc obtinendam gloriam satis est
in bicipiti somniasse Parnasso ; sed ille quippe hoc
honore dignissimus ,

*Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque or
Magna sonaturum (2).*

Placuit tandem, auctarii veluti loco, subne^ctere nonnulla
Carmina Francisci Galluppi, Jureconsulti, Advocati Nea-
politani, ac Patricii urbis ad Tropaea (3) spectatissimi ,
Graecam atque auream simplicitatem redolentia . Pige-
bat profecto tanti Viri Graece Latineque doctissimi, ab
editione suorum Operum (prout ejus modestia est) per-
petuo refugientis, aliquod litterarum monumentum pu-
blice non exstare . Amicitiae igitur jure intercessi , ut
haec, in Auctoris laudem jam conscripta, typis edi pa-
teretur ; & pro ipsius in eundem benevolentia tandem
obtinui . Sic velit ipse in lucem emittere Scholiasten
Ariostophanis Latine versum , & uberrimas in illum
Adnotaciones atque *Animadversiones* εις τὰ ἀνέρδοτα
Danielis Heinsii, & *Isaaci Casauboni* in *Theocritum*,
quas quotidiano veluti convicio efflagitamus ; ut inde
Italiae

(1) Catull. Carm. XXII. v. 10. & seq.

(2) Horat. Sat. I. 4. v.43.

(3) Vulgo *Tropaea*: Stephano dicitur τρίποδες *Tρίποδες*. Adeas Lucae Hol-
lenii in Cluverii Italiam antiquam Adnotaciones pag. 296. edit. Rom.
ann. 1656. qui ex Sexti Pompeji victoria & Tropaeis id huic urbi no-
men putat superesse . Cl. Harduino est eadem, ac H'ρακλίες λαμπτ',
cujus Strabo memor est, lib. VI. pag. 394. edir. Batavae, & Portus Herculis
a Cajo Plinio memoratus Natur. Hist. lib. 3. pag. 158.

Italiae ingens decus accedat & ornamentum . Vale ,
erudite Lector , & Clarissimi de Januario alia ingenii
pignora propediem exspecta .



JOSE:

CARMINUM LIBERIA

MAGISTRATUS.

ELEGIAL
MUNUS DIFFICILE.

DI CERE Jus, & lance pari componere lites,
Gloria non levis est, parta labore gravi.
Plura tamen collecta juvant, quae diffusa languent;
Integra dos prodest, dimidiata nibil:
Scilicet omne malum defectu provenit uno;
Perfectis constat partibus omne bonum.
Nec satis hoc; supereft majus; nam convenit, uti
Summo delectu, judicioque pari;
Quippe ita sunt virtutum & virtus confinia, ut anceps
Saepe sit, an pejus pro meliore capis.
Scire, parum est; nescire, nefas; culpabilis ille est,
Qui se se facilem, difficilemve gerat;
Difficiles vinci solidam ratione recusant;
Vincuntur faciles vel ratione levi.
Ille nocet, multum dictis qui praebeat aures;
Aures qui nusquam praebeat, ille nocet;

A

Nam-

2 C A R M I N U M

Namque locum iniustis dat defensoribus alter;
Alter legitimis asperitate negat.
Qui tacet, aut loquitur nimium, damnatur uterque:
Turpe, nimis loquier; turpe, tacere nimis;
Saepe loquax dictis sibimet contrarius extat;
Et miscet multis vix bona pauca malis:
Cui manet os clausum, quamvis sapientior, aut nil,
Aut vulgo sapiens creditur esse parum.
Et timor est vitium, & vitium est audacia; namque
Multum agit haec praeceps, nil agit ille piger,
Negligitur timidus, taceratur ab omnibus audax;
Carpitur hic odiis, spernitur ille iocis.
Fallitur is, quoties tantum praesentia spectat;
Is quoque, qui tantum nosse futura studet;
Præsenti hic rapitur, confunditur ille futuro,
Atque male alteruter tardat & urget opus.
Maxima quae virtus, prudentia, plena pericli est;
Nec semper felix, debet ut esse, fuit:
Non ea saepe nocent, quae tu nocuisse putabas;
Quaeque videbantur non natura, nocent.
Ab quoties, quod jure facis, fecisse dolebit;
Atque placet factum, quod sine jure facis.
Non raro evadit patientia noxia; & insons
Saepe opportunis casibus ira fuit;
Redditur is, causam tractat qui fronte superba,
Lenis, te irato; te paciente, ferox.
Non semper prodest miti clementia vultu;
Atque truci semper non placet ore rigor;
Hic animos accuit, plusquam decet, illa relaxat;
Parque malum oppositis provenit inde viis:
Nec fleti lacrimis, lacrimas nec spernere tutum est;
Hæc justæ ex oculis, hæc quoque fraude cadunt;
Quis

Qui vult esse pius, quandoque fit impius; & fit
 Ille pius, nocua qui pietate caret.
 Nescis an credas, an famae incredulus obstes;
 An meret, an potius subripit illa fidem;
 Pro vera mendax aliquando credita fama est;
 Credita pro falsa, vera reperto fuit.
 Si facile admittis, rigide si excludis amicos,
 Te facit obsequium, rusticitate reum;
 His facile admissis, poteris suspectus haberi;
 His rigide exclusis, vix sociandus eris.
 Quare in Judiciis ars ipsa involvitur arte,
 Ni sit nescio quid majus, & arte super;
 Et felix erit is, qui forte videbitur, artem
 Quando plus exhibet, tunc exhibere minus.
 Hoc se praesidio nocuis defendet ab armis,
 Quicis magnos versat gens malaesana viros.
 Nemo est, vel summo meritoque excellat honore,
 Quem non os rabidum dente feroce premat:
 Hic est insipiens, hic invidus, osor & illi;
 Hic audax, hic clam perfidus, ille palam;
 Quoslibet hi, secum variis affectibus acti,
 Arbitrio mordent dilaniantque suo.
 Sed qui, virtutum dives, sanctissima legum
 Insens jussa colit, justitiaeque praeest,
 Haec fatua, effectuque carentia fulmina spernit,
 Atque hominum faecem pensat ille nihil;
 Impavidum nunquam terrent, feriantque ruinae;
 Et nunquam peccus grande procella quatit;
 Intrepida facie, atque animo constante resiftit;
 Et magis adversa, per sibi, forte viget.

4 C A R M I N U M
E L E G I A II.

M E N S.

MENTE valent homines ; similes qui cetera brutis,
Mentem , qua brutis non similantur, habent:
Mens opus aeternum , & divinitus orta propago ,
Mens nil corporei , corpore juncta , tenet ;
Mens noscit , Mens disponit , Mens judicat ; & Mens
Ad verum fertur percita sponte sua :
Haec spectat praesens ; haec est praesaga futuri ;
Haec est praeteriti , vidit ut ante , memor ;
Haec anima est , & norma , & Jus dicentibus ingens
Praefidium , ut valeant reddere cuique suum ;
Mens , rerum interpres ; Mens , prudens arbitra recti ;
Mens , aequi custos ; Mens inimica doli .
Sed , quamquam Mentis natura est omnibus una ;
Non agere est uno quaelibet apta modo :
Altera agit melius , melior cui corporis usus ;
Et cui pejor hic est , altera pejus agit .
Propterea Mens est dicundo provida Juri ,
Quae mage corporea labe soluta viget ;
Quae longe ac late excurrat , tenebrisque fugatis ,
Splendeat , & radios spargat ubique suos ;
Quam nihil obliqua perturbet imagine fictum ,
Nec recti species insidiosa premat ;
Noscere fit velox , fit res discernere cauta ,
Pendere fit sollers , fit retinere tenax ;
Grandia concipiatur , nugis puerilibus expers ,
Quas olim ante focum stans recitavit anus .

Sed

L I B E R I

Sed primo rerum aspectu, (qui fallere saepe
 Incautos fuerit) ne rapiare , cave ;
 Quae subito , sunt firma parum , meditaberis aestu ;
 Firma sed esse magis bis meditata solent .
 Mature observa ; rursum observata revolve ;
 Jungere postremis anteriora stude ;
 Ere res oritur , lumen de lumine manat ;
 Cognitio augetur cognitione nova .
 Intima sic poteris scrutari viscera rerum ;
 Sic nucleus , fracto corticis ore , trabes .
 Non semper verum est , quod primo in limine verum
 Apparet , vero proximus error adeat ;
 Et facile errabis , cum non errare videris ,
 Uti ni summa sedulitate velis .
 Peccarunt graviter (docet experientia) plures ,
 Qui sine deleitu praecipitanter agunt :
 Saepe ea damnamus , quae forte probavimus ante ;
 Nosque emendatos cura secunda facit .
 Sed pavidam abstineas meditando involvere mentem ,
 Semper & anticipites ire redire vias ;
 Nullo stare loco , nullis consistere metis ;
 Et nullà , post tot praelia , pace frui :
 Hoc pejus , mihi crede , malum ; rectisque ferendas
 Judiciis nil est exitiale magis .
 Tunc animus dubiis misere circumdatur ; & quid
 Affirmet , nescit pandere , quidve neget ;
 Et pugnans secum , paribus rationibus actus ,
 Aut has , aut illas deseruisse timet ;
 Semper nil operans , operi dum fervidus instat ,
 Semper , dum magis est exagitatus , iners ;
 Nec sibi , nec fidens aliis , cum fidere fas est ;
 Dispicet ipse aliis , dispicet ipse sibi ;

Præ-

*Praeterea, qui plus, quam par sit, acumine poterit,
 Dotem, quam melius non habuisset, habet;
 Alterutro ingenium defectu redditur impos,
 Sive nimis tardum, seu nimis acre datum est;
 Quod tardum nimis est, in plano tramite preecepit
 Decidit, & medio in lumine lucis eget;
 Acre nimis rapido fertur per inane volatu,
 Atque umbras, corpus dum putat esse, capit:
 Propositique tenax speciosa sophismata gignit,
 Quae dant, ut viatum se tueatur, opem;
 Nec eedit vero, pro falso pugnat acerbe,
 Cum nunquam fictae sit rationis inops.
 Quapropter cuperem, quod quae Mens pectore volvit,
 Ut domina imperio temperet illa suo;
 Et quocunque gerit, servili libera vinclo,
 Et preejudiciis exonerata, gerat.
 Ardua non pavet, parvis non haereat; illa
 Vincere, magnanimum est; spernere & iusta, juvat:
 Ardua ni vincat, sine nomine languida vivet;
 Parvaque ni spernat, tempus inane teret.
 Quodque aliis placitum est, censura examinet acri,
 Nec perquirendo sit studiosa parum;
 Non aliena statim sententia forte probanda est;
 Haec eadem non est rejicienda statim:
 Arbitra sit ratio, quae separaret optima pravis;
 Haec prorsus damnet, prorsus & illa legat.
 Insuper admoneo, ne regula militet una,
 Atque ea sit cunctis invariata modis.
 Consilium non semper idem; mutare lubenter
 Pro varia rerum conditione finas:
 Nec pudor est, quod Mens hinc se se volvat & illinc;
 Est quidam cauta in mobilitate decor;*

Tem-

*Tempore , sive loco quae res bene convenit uno ,
 Convenit baud alio tempore ; sive loco ;
 Non unum genus est hominum , fortunaque dispar
 Non patitur fato succubuisse pari .*
*O felix , semperque omni memorandus in aero ,
 Cui natura parens has cumulavit opes ;
 Egregie ornabit sublimi Mente Senatum ,
 Juroque tractabit splendidiore face ;
 Et tanto sacrosancta Themis gaudebit alumno ,
 Propugnatorem non habituro parem ,*

ELI

8 . C A R M I N U M

E . L E G I A III.

I N G E N U A E A R T E S .

ADDE bonae Menti, quo sit doctissima, cultum;
 Scilicet haec cultu definit esse rudis:
 Perficit ars quicquid natura incepérat; ista
 Vivax ingenium format, & illa polit.
 Cum primum effoditur, non lumine fulgurat, aurum;
 Lumen ab artificis sedulitate capit:
 Ni terram vertas, ni sulcis semina tradas,
 Fertilis optatā messe carebit humus:
 Quamvis sit fortis miles, pugnabit inepte,
 Si sit militiae doctus in arte parum:
 Indole perspicua conjuncta industria prodest;
 Altera ab alterius consolidatur ope.
 Quot magna ingenia, in tenebris non digna morari,
 In commune bonum conspicienda forent,
 Si grazibus studiis generoso ardore vacarent,
 Virtutis specimen grande datura suae.
 Quapropter si Mens rebus sublimibus apta
 Est tibi, ne tantā define sorte frui:
 Opportuna, precor, prius instrumenta parabis,
 Queis ad doctrinam lene patebit iter.
 Et Grajam, & Latiam linguam callere necesse est;
 Discendi fontes utraque lingua docet:
 Quicquid in historiâ est, illo sermone, vel isto
 Ad nostros servant fata benigna dies;
 Ingenuas artes hic sermo illustrat uterque,
 Quem si spernis, in his artibus hospes eris:
 Nec

Nec, licet in patriam sint versa haec omnia linguaem,
Profectu credas discere posse pari:
Qui vertit, fallit quandoque, & fallitur ipse;
Extera nativo lingua lepore caret.
Non purae labuntur aquae, cum longius errant;
Puras e proprio fonte bibisse juvat.
Porro ne lente Meditandi exceperis Artem;
Haec tibi vera dabit noscere, vera loqui;
Definire scias, distinguere & omnia acute,
Numquam discedens a ratione procul:
Et quid praemissis juste respondeat, & quid
Hisce aduersetur, dissoluisse queas.
Praeterea non ipsa tibi spernenda Mathefis,
Unde aequum aspectu candidiore nitet:
Quid par, quid dispar, quid constet, quidve repugnet,
Obliquum, & rectum sic reperire potes;
Sic bene dirigitur studia ad majora paratus,
Et sensim instruitur, perficiturque labor.
Ulterius pergas; patriosque relinquere fines
Incipe; & immensum mens cito currat iter:
Nosce Orbem in tabulis, regiones, flumina, & urbes;
Quâque Orbis teneant haec loca parte situm.
Nonne pudet, gesta affirmes Orientis in oris,
Quae forte Occiduis gesta fuere plagis?
Atque urbem geminam, communi nomine dictam,
Unam, non duplicem turpiter esse putas?
In Physis etiam sistas; fallacia quamvis
Plurima sint, quaedam praeteriisse pudet;
Ut saltem ipse scias, quod scitur ab omnibus; & te,
Atque alios, possis dicere, scire nihil.
Scilicet inumeros servar Natura recessus;
Et, prope cum fias, tunc procul esse, vides.

B

Inde

*Inde etiam retolenda tibi est Sapientia morum,
Quos sceptro virtus nobiliore regit:
Volve animo monumenta virum, quos Graecia jactat,
Quos jactat fastis inclita Roma suis:
Discere, magnanimitis veniat quae gloria fastis;
Qui veniat merito e paupere fictus honor:
Quo laeto accipitur contenta injuria vultu;
Qua facilis tacitus vincitur arte dolus;
Quo fraeno immidis moderetur dulciter ira;
Qua norma proprius contineatur amor:
Quem se blanditiis aliena ferocia fletat;
Quem pacem obtineat mens agitata modis:
Scruteris, quae sint vitae praestanda vicissim
Officia; utque homini sit sociandus homo;
Ut nemo tantum credit sibi vivere; ut alter
Debeat alterius consuluisse bono;
Ut rigide servanda fides contractibus; ut sit,
Seu clam, frue palam fallere quemque, nefas.
Tu quoque ad Historias sollers incumbe legendas;
Aspice quod gestum est Orbis ab initio:
Gestarum hic debes distinguere tempora rerum,
Ne rerum series obruta mole ruat;
Et ne, configisis actibus, ultima primis,
Et media extremis sint cumulata simul;
Atque suus tantis desit successib. ordo,
Quo sine proveniet non nisi grande chaos.
Des operam graviter, Populorum noscere Mores;
Dignaque censuram, dignaque laude notes:
Ex his qui pollent opibus, qui viribus, & qui
Aut cultu, aut studiis, ingeniove nitent:
Qui vitiis, qui fraude vigent, quos urget egestas,
Quem fortuna favet, quem inimica nocet:*

Hines

Hinc magna utilitas ; alienae maxima sortis ;
Queis propriam emendes , binc documenta trahes :
Atque tot exemplis animum spectabis opinam ;
Et vitam cursu prospere reges .
Postremo cures Regnorum evolvere fata ;
Unde tot eventus dispare sorte fluunt :
Queisnam principiis Gentes crever'e potentes ;
Queis causis versâ post cecidere vice ;
Tempore quo melius rigidum , quo tempore blandum ,
Quo nocuum imperium tempore utrumque fuit ;
Quando juvat , fusa , seu parce , praemia , poenas ,
Seu cito , seu lenta contribuisse mora ;
Quando promissis refert impellere inertes ;
Quando rebellantes continuisse metu .
Et Belli , & Pacis noscas solennia Jura ,
Queis obfirmatur publica in Orbe quies :
Quid justum reddat bellum , quid reddat iniquum ;
Quid vetitum est , & quid , Marte furente , licet :
Quando jubet proprias defendere fortiter urbes ,
Et quando externas fundere , laesus honor :
Quando pax fieri , quando sine crimine frangi ,
Quando opus est summa religione coli :
Pacta quid attulerint pacatis foedera rebus ,
Vel servata boni , vel violata mali .
His plene instructus tentes felicibus ausis
Omnia ; & extollas vel super astra caput ;
Nec serpes ignotus bumi ; nec quoslibet inter
Haerebis de re qualibet ipse loqui .

E L E G I A IV.

J U R I S P R U D E N T I A.

POSTQUAM doctrinae tibi tanta parata supplex,
 Qua mens sublimi dote superba nitet;
 Felici cursu lustra penetralia Legum;
 Nonnisi cordatis haec adeunda viris:
 Nobilis haec, custos aequique bonique, Facultas
 Res docet humanas, res docet ista sacras;
 Qua ratio victrix animis discordibus instat;
 Qua fas servatur, rejiciturque nefas;
 Et liber servit quisquis servire jubetur,
 Dulce ferens, quo nil ipse gravatur, onus.
 Hanc tu principiis solidis suscepis, Artem,
 Tu, cui Judiciis fata praesesse dabunt:
 Atque avide primum Romana volumina volvas,
 Digna immortali posteritate frui:
 Condendo par nulla fuit Respublica Jure;
 Nullaque par peperit tam sapienter opus.
 Hic Personarum, & Rerum discrimina disces;
 Hic Acquirendi, lege jubente, modos;
 Quos parit effectus hominum Testata Voluntas;
 Quo ritu existat robore firma suo;
 Quive Intestato succedant sanguine juncti
 Defuncto, exstantes in propiore gradu;
 Qui Re, qui Verbis contractus firmiter haerent;
 Nomine qui gaudent, nomine quique carent;
 Quas meritas privata luant, quas publica poenas
 Crimina, queis populi sit violata quies.

Sed

Sed percurrentis istis ex ordine rebus
 Non adhibenda quidem cura labore levis.
 Quaerere nunc praestat, quae sit concordia legum;
 Quam bene connexa est posteriore prior;
 Siquid diffidium, noscas, superare necesse,
 Non fuso ac nugis, sed gravitate decet:
 Ex aliis inferre alias; conjungere sparsas;
 Difficiles nodis dissoluuisse suis;
 Inque affirmantes convertere saepe negantes,
 Scripturae ingenuâ deficiente fide;
 Jurisprudentum varias attingere Sectas,
 Quorum dissensus conciliandus erit;
 Et quaedam; arcano verborum cortice testa,
 Detegere, historiae te praeunte face:
 Saepe etiam sensus legum cobibebis apertos;
 Plus scriptum, vetitum cum minus esse, putas;
 Aut contra extendes, cum plus voluisse videntur,
 Quam scripto leges explicuere palam.
 Inde tot ampla parent tibi Commentaria Juris,
 Fortia quae terrent pectora mole suâ:
 Debet in his ingens a te delectus haberri,
 Ut mala praeterreas, utiliora legas.
 Scripserunt multi; sed non par omnibus una
 Gloria scribendi, par manet unus honor.
 Sunt qui non cultu florent, non ordine rerum;
 Resque bonas multâ rusticitate docent;
 Siquid in his vitium est, tulit hoc obscurior actas;
 Non tulit ingenium, quo valuere nimis.
 Hos caute solvas; quod convenit, excipe; quodque
 Imbutum est maculis, barbarieque, fuge.
 Sunt qui, sorte bonâ, nati melioribus annis,
 Judicio huic arti splendidiore vacant:

Quos

*Quos inter frontem extollit Cujacius ; unus ,
 De quo quae dices , sunt ea dicta parum .*
*Hi , procul expulsâ veterum rubigine , scribunt ;
 Atque emenato scripta lepore replent :*
*Hi nil deficiens , quo plus fortasse requiras ,
 Hi nil excedens , unde graveris , habent ;*
*Hi faciles , & , quod raro concurrit , acuti ;
 Hi lati in dubiis , perspicuisque breves :*
*Quosque diu misere vulgaris opinio forvit ,
 Errores summâ pellere laude student .*
*His operam cultis Authoribus ipse locabis ;
 Atque operaे pretium non nisi grande feres .*
*Omnia spectabis multo stipata nitore ;
 Nec mens nugarum pondere pressa cadet :*
*Sed qui Jus dicit , quicquid fert Curia , noscat ;
 Et quae Scriptorum turba Forensis habet .*
*Difficile hoc pelagus ; syrtes vitabis & undas ;
 Et portum multâ , si sapis , arte tene ;*
*Hic sordes multae , nullus quam saepius ordo ,
 Et variis ratio dilaniata modis :*
*Hi , quo itur vulgo a reliquis , non quo sit eundum ,
 Ut pecudum mos est , praecipitanter eunt ;*
*Claraque confundunt obscuris , falsaque veris ,
 Certaque cum dubiis , & meliora malis :*
*Sed tamen his opus est ; longaevò protinus usu
 Et famam & vires obtinuere Foro .*
*Collige tu purum tantis e faecibus aurum ;
 Et fructus nocuâ ex arbore quaere bonos :*
*Nullus enim liber est , quamquam sine nomine currat ,
 Qui non ex aliqua parte juvare queat .*
*Post haec te referas ad Sacra volumina Juris ;
 Late materies non minus ista patet ;*
Quae

Quae vetus , atque recens sanctis Lex dogmata libris
 Servat , in hoc sparsim diffita Jure legas :
 Et quae Conciliis sint edita iussa , notabis ;
 Atque simul disces quae docuere Patres :
 Quae sint supremae vulgata oracula Sedis ,
 Queis dubias lites dissoluuisse solet :
 Hic plene disces , gaudent qua sorte Ministri ,
 Qui templo adducti se tribuere Deo ;
 Quot sacer in classes varias distinguitur Ordo ;
 Quae mandata sibi munia quisque subit ;
 Et quae posthabitis nova Sacra menta vetustis
 Solenni ritu confiantur , babes ;
 Quas res in proprios Ecclesia vindicat usus ;
 Hisque alienandis quae data fraena , scies ;
 Formaque Judiciis quaenam constat agendis ;
 Ut fese ipse Actor , se gerat ipse Reus .
 Crimina quaenam sint , sanctis quae legibus obstant ;
 Quaenam patrato poena sit aqua malo ;
 Quod Jus Imperio , quod sacris Clavibus esse
 Distincta iussit sub dictione Deus ;
 Uique haec convenient & vinclo & foedere in uno ,
 Si se contineant limite quaeque suo .
 Cum sic primaevi Jus omne revolveris annis ;
 Prosequere hoc studium , sic licet ipse senex :
 Nam quo plus disces , plus discere posse videbis ;
 Tam vastos fines utraque Jura tenent .
 Si tu te talem praestes , praestantior alter ,
 Jus bene qui possit reddere , nullus erit .

INTERNUM nuper cultum p^raecepimus; at nunc
 Exterior cultus p^raecipiendus erit.
 Ut^{ra}que dos prodest; intus nos altera doctos,
 Altera prudentes indicat esse foris.
 Abdita si gemma est, nec divite luce superbit,
 Nullius in pretio est, sit pretiosa licet.
 Gratiор est blandos s^cocians Sapientia mores;
 Tristior est, quae sub rusticitate latet.
 Venimus in lucem, cunctos ut amemus amati,
 Doctrinae ut cunctis proficiamus ope:
 Nec, quia Jus reddit suavi moderamine Judex,
 Detrimenta capit pernicioса Themis.
 Condiri rigor ipse potest; nec respuit umquam,
 Cum danda est, mites aspera poena modos.
 Quare te acceptis ornatum moribus opto,
 Ut nulli prorsus displicuisse queas:
 Inque aliis specta, quid deſit, vel quid abundet;
 Quid gens objurget, quid probet illa, nota:
 Tu, quod abundet in his, remove; quod deficit, adimple;
 Linque, quod objurget; quaere, quod illa probet:
 Teque illis reddas similem, qua parte juvabunt;
 Reddas diffimilem, qua tibi parte nocent.
 Et moneo in primis, fugiat ne gratia vultum,
 Seu sit Causa Domi, seu sit agenda Foro:
 Si bene Patronus sese gerat, excipe multa
 Laude patrocinium, quam meruisse zides:
 Nam

Nam, seu sint juvenes, animatur laude juventus;
 Sieve senes, senibus laude foretur bonos.
 Si quis non recte Causam tutabitur, illum
 Humanis fas est admonuisse modis;
 Et praesta patienter opem, tenebrasque repelle,
 Quicis forsitan nolens obrutus ille jacet:
 Incolumes ostende vias, quas ire licebit,
 Ut caute obliquum vertere possit iter.
 Si tamen indocili quidam conamine pugnant,
 Allata flecti nec ratione sinant;
 Dulciter objurges primum; dulcedine vinces,
 Vinci qui nequeunt asperitate truci.
 Ni cedant, taceas; te namque tacente, pudebit
 Hos frustra dictis obstrepuisse diu:
 Sic odium vites; nec, quod decreveris, olli
 (Quamvis displiceat) dilaniare queunt:
 Cunctos, qui veniunt coram te, noscere cures,
 Quinam perfidiā, qui probitate valent.
 Interdum, qui voce humili, qui supplice vultu
 Accedunt, fraudes insidiasque fovent;
 Atque coloratis fingunt mendacia verbis,
 Fucatāque dolum simplicitate tegunt.
 Hos paribus vincas armis; & suaviter artem,
 Qua pollent, superes, ut decet, arte pari.
 Excludas quocunque petunt, si forsitan iniquum est,
 Quod, vultu risum dissimulante, geras:
 Atque ita, qui veniunt deludere forte parati,
 Delusos damno cernis abire suo.
 Est tibi praeterea gravitas servanda decenter;
 Sed procul a foco, quo nihil illa placet:
 Ingenuo pateat conjuncta modestia fastu;
 Excurrat numquam nubilus ore color;

C

E:

*Et blande accipias ; & blande redde salutem ;
 Mutuus officiis conciliatur amor :
 Et quocunque loco , quocunque & tempore cunctos ,
 Ut cupiunt , sensus exposuisse , finas .
 Nil pigre differ ; vel si differre necesse est ,
 Fac , justas , noscat qui petit , esse moras .
 Cauta promittas , sed quod promiseris , exple ;
 Posse a te fieri non facienda , nega :
 Atque nega placide ; nam grata est saepe repulsa ;
 Cum quis non tristi fronte repulsus abit .
 Si pleno fuerint tibi vota ferenda Senatu ,
 Omni decernas ambitione procul .
 Dic bene ; dic breviter ; dic omnia ; suaviter obsta ;
 Ut quibus obstabis non videare ferox :
 Uttere & exemplis , ratio ni forte repugnet ;
 Uttere & arbitrio , ni quis abusus erit .
 Non semper calcata aliis vestigia calca ;
 Multum etenim novitas provida laudis habet .
 Interdum tua deponas , aliena sequaris ,
 Si tua tuta minus , tuta aliena magis :
 Et quando errabis , debes te errasse fateri ;
 Parcendum errori , quem fatearis , erit .
 Nonne errore novo primus defenditur error ?
 Atque ea , quae levis est , culpa fit inde gravis ?
 Non doleas , non infleris ; contraria seu quis
 Firmet ; seu plaudens quis tua dicta probet .
 Quod tibi , quodque aliis visum est , ne pandere tentes ;
 Sed prudens tacito pedestre conde tuo .
 Judicii fit vialis honor , si arcana patebunt
 Consilia , & parvi sint ea pensa palam :
 Pascitur invidiâ , atque odiis ignobile vulgus ;
 Cuncta venenato carpere dente cupid .*

Ode-

O vero ad Patriae communia commoda natus,
Qui sese ornatum moribus hisce gerit:
Praesertim leges rigide cum servet Honesti,
Et scelere & vitiis immaculatus abit;
Qui prece, vel precio non vincitur; atque Potentum
Non amat obsequium, non timet usque minas.
Ordinibus cunctis pleno laudabitur ore;
Atque aequo carus, quam metuendus erit.

C a E L E

E L E G I A VI.

NEC PAUPERTAS, NEC DIVITIAE.

NEC pauper, nec dives erit, qui Judicis implet
Munus; Paupertas, Divitiaeque nocent.
Pendet ab extremis vitium; corruptitur omne,
Siquid parte nimis distat utraque, Bonum.
Si caret, aut multo si sanguine corpus abundat,
Vitam non poterit sustinuisse diu.
Consistunt, florentque aequali pondere vires;
Hoc auctio, hoc pariter deficiente, cadunt:
Utque vetus dictum est, Nimirum natura repellit;
Hacc eadema, parvo debilitata, jacet.
Is, cui res angusta domi est, qui paupere censu
Stringitur, officio par nequit esse suo:
Sorte gravi afficitur, nusquam mens libera caris,
Semper vicinis exagitata malis:
Evigilat noctes, adverso exercita fato;
Nec sibi tranquillos scit numerare dies:
Et timet, & dubitat, pariter diffidit, & optat;
Nunc spes, nunc pallor, nunc stat in ore pudor.
Hi varii affectus, veluti tot in aequore venti,
Confidunt afflido saucia corda premunt.
Tunc torpent leges; languet tunc mentis acumen;
Tunc vultu & labiis spiritus omnis abest:
Non faciles dubiis praestantur litibus aures;
Nec laetâ arripitur sedulitate labor.
Dj faxint, ne sit, qui pacto sordeat aere;
Dignaque mercatu jura verenda facit.

In-

Integritas raro cum paupertate cohæret;
Illa animum ditat, corpus at ista premit:
Quodque juvat, non quod melius; quod & utile, non quod
Est mage conveniens, quaerit & optat egens:
Et nisi sit summis pollens virtutibus heros,
Difficile hos scopulos naufragiumque fugit.
Contra, qui florens opibus, qui divite pompa
Luxuriat, partes Judicis explet ipers.
Otia, queis gaudet, quisnam in fastidia vertet?
Et quisnam vacuus sponte subibit onus?
Pugnant deliciis curae, solatia poenis,
Et pugnat bellum pace, labore quies:
Cuique dolet noctu cubitum quam tardius ire;
Surgere dein cubitu, vix oriente die:
Atque ad clamosum citius se ferro Tribunal,
Ardeat aut aëtas, sive rigescat biems;
Postque diem medium proprio decernere recto
Jurgia, vix sumto parcus ante cibo:
Invigilare libris, & judicialibus actis;
Noscere, num bene jus, num bene facta patent.
Non haec dura sibi faciles incommoda quaerunt,
Qui vitâ poterunt commodiore frui:
Scilicet hos plenis oblectat scena theatris;
Et mulcens aures vox modulata sonis;
Et luxu aurato lustrantes compita currus;
Et, quos commendat spiritus acer, equi:
Coetus amicorum colitur, qui tempora fallat;
Narrans quid sparsus rumor in urbe ferat;
Quique sales, mollesque jocos, jucundaque fundat
Colloquia, ut mala sint tristitiaque procul:
Alea diligitur, noctis quae temperet horas,
Praesertim pluvias, cum juvat esse domi;

At-

*Atque, animis nunc buc, & nunc trepidantibus illuc;
 Fortunae arbitrio diripiuntur opes.*
*Quid speret multos lassus qui litigat annos,
 Atque gravi redimit tristius aere moras?*
Orabit frustra; lacrimas miscebit inanes;
Et misere ventis irrita verba dabit.
Qui satur est, nibil alterius jejunia curat;
Qui valet, alterius nil dolet ipse malo.
Accipiet, nec enim dubito, promissa libenter,
Eheu! securam non habitura fidem.
Quod si fors patitur, finiri denique litem;
Seu vittus, seu sit vittor, abibit inops.
Optandum est igitur, quod te nec turbet egestas;
Nec tibi praegrandes infidientur opes:
Et, quantum sat erit, non quod superabit, babebis,
Non nimium dives, non nimis ipse miser.
Sic neque deliciis captus fastidia spernes;
Nec pressus dura sorte jacebis bumi;
Magnanimum calcabis iter, quod gloria signat,
Paupertate carens, divitiisque carens.

CAR-

CARMINUM LIBER II.

NUPITALIA.

ELEGIA.

AD JOHANNEM BAPTISTAM VICUM.

Accepi tua jussa lubens; sed, Vice, dolebam,
 Grandia me musâ paupere jussa sequi.
 At tu subridens animabas laude dolentem,
 Quâ, pro more tuo, me cumulare soles.
 Quam dederat vir laudatus, laus ista placebat;
 Tanta licet meritis non foret aequa meis.
 Inde domum veni; curisque parumper ademtuš,
 Totus in explendis jussibus ipse fui.
 Sumta lyra est, suspensa diu: quae carmina primum
 Erumpunt, delet ducta litura stylo.
 Et surgo, & coepi post lento incedere gressu;
 Saepius incessu mens meliora parit:
Nec

» In Nuptiis Johannis Baptiste Filomatino Principis Roccae & Mariæ Victoriae Caracciolo e Marchionibus Sancti Erasmi.

Nec bene successit ; cogor differe coeptis ;
Inque adam statuo sumere plectra diem.
Interea me conveniens promissa petebas
Carmina ; respondi , quod polienda forent :
Finximus haec (fictis renuas ne parere verbis)
Nescio , quis fuerat dicere vera pudor ;
Nec caruit ratione pudor , ne forte putares
His excusatam me tibi velle moram .
Quare iterum curo nostram tentare Camoenam :
Nil tentata iterum nostra Camoena tulit .
Coenatum suspensus eo ; meditabar edendo :
Sic soleo , infectum cum mihi pendet opus :
Cum neque sperarem par quidquam effingere votis ,
Poenituit studiis , Pimpla , vacasse tuis .
Excipior lecto dubius ; somnumque petenti
Ante oculos visus Phoebus adesse mibi :
Nosco signa Dei , citharam gestabat , & arcum ;
Ornabant flavas laurea ferta comas .
Ecquid , ait , mentem trahis in diversa ? diuque
Anceps condendis versibus ipse manes ?
Nunc mittas , moneo , sublimia quaerere cantu ;
Quae celebras , tenero sunt celebranda sono .
Nonne tenes , quod dulcis Amor sibi dulcia poscat
Carmina ? quod pompaec sint in Amore graves ?
Hanc sumas manibus citharam ; Sponsamque Virumque
Alloquere ; & placido profer ab ore melos :
O quos jungit Amor viridi sub flore juventae ,
Felix ad senium plurimus annus eat .
Incipient primis , tardis claudantur in annis
Gaulia , quae dulcis spondet utrique Venus :
Et citius votis donent vos sidera probe ,
Ne longa careat posteritate Domus .

Haec

*Hacc vestrâ, cum tempus adest, ab imagine discat
Ad plausum gressus instituisse suos;
Immo etiam audebit famam superare Parentum;
Quorum fama baud est sic superata minor.
Finierat Phoebus; subitasque evasit in auras,
Ut levis, extincto Lumine, fumus abit.
Excitus e somno, Phoebi transcribere versus;
Transcriptos statui mittere, Vice, tibi:
Tu, precor, excipias; aliis par rebus agendis
Si fuero, praebet mox nova iussa: Vale.*

D

ELE

E L E G I A II.

RAPTA sit e gremio dulcissima Nata Parentis;
 Dum patiens aetas est modo facta Viri.
 Jam de more sacer consultus nunciat Auspex,
 Omnia quae sitos fausta dedisse Deos.
 Incedat rubicunda genas, ornata capillos;
 Incedat Charitum consociata choro.
 Cum tamen incedet, nubant huic flammæa vultum;
 Sic est visa minus frons pudibunda pati:
 Illud & in causa est, deceant tur flammæa Sponsam,
 Ut bona perpetui sint ea signa tori;
 Namque haec Flaminicis velandi fluxit origo,
 Queis est conjugii solvere vincla nefas.
 Dein vivas attingat aquas, attingat & ignem;
 Omen speratae prolis utrumque fovet:
 Et calor, & misius foetum simul educat humor;
 Hinc aqua Virginibus, tactus & ignis erat.
 Tum triplices veniant praetexta ueste Puelli;
 Et studeat fungi munere quisque suo:
 Substineant gemini properanti brachia Nuptæ;
 Qui superest, dextrâ præferat ante facem.
 Adsit Amicorum coetus, dulcesque Propinqui;
 Dentque operam risus conciliare jocis;

Ur

* In Nuptiis Andreæ Coppola Ducis Canfanæ & Lauræ Caraccio-
 lo e Marchionibus Amorufi.
 Ad veterum Romanorum Nuptiales Ritus & Formulas adlu-
 ditur.

Ut timidum Sponsae aspectum, gressusque morantes
 Ipsi aiment dictis, sollicitentque prece.
 Turba Puellarum, roseis praecincta coronis,
 Clamet ovans: Hymen, o Hymenae veni.
 Post haec, infuso pothes ungantur olivo;
 Uxor ab ungendo dicta sic unde, ferunt:
 Et, quas Religio prohibet calcare Puellis,
 Exornet primas lanea vista fores;
 Ne Virgo ingrediens, mox depositura pudorem,
 Te laedat gressu, Vesta pudica, suo.
 Tandem Sponsa Viro, siflens prope limina, dicat:
 Caja tibi fuero, si mibi Cajus eris.
 Communis rerum his verbis inducitur usus;
 Ut se communis corporis usus habet.
 Interea, Famulæ, genialem sternite lectum;
 Lectus enim Genio dicitur esse sacer.
 Et vos, o Pueri, dimittite bracia Nuptæ;
 Et finite, ut lecto Pronuba docta locet.
 Donet vos nucibus Sponsus, queis inter vundum
 Ludite; de facili fallitis inde viam.
 Sacra Jovi nux est, ideo spargenda Puellis;
 Cedit in obsequium nux ita sparsa Jovis.
 Quod restat; Sponsi, ad stratum concedite lectum;
 Et zonam Uxori solve, Marite, tuæ;
 Atque maritalis teneant vos gaudia pacis;
 Gaudia non ullâ dissoluenda die.
 Nos tamen interea laetis speramus ab astris,
 Ne frustrare diu vos ea prole velint:
 Ut teneros blande genitorum luctet amores;
 Horum inter ludens brachia cara puer,
 Qui crescens annis spectare per atria vultus
 Majorum cupiet, queis nitet ampla domus;

D 2

Et

*Et laudum stimulis primo percussus in aevio,
Monstret virtutis dulcia signa suae:
Ut, gestis ornans longe sublimibus Orbem,
Belli dicatur gloria, pacis honor.*

ELE.

E L E G I A III.*

A D A M I C O S.

ADSUMUS, & oestrum/numerum complemus, Amici;
 Quo nil dulce mibi creditur esse magis.
 Atque Elegos, quoscunque meum mibi suggesterit oestrum,
 Non semel altatos, rursus & ipse fero.
 Farte quis objiciat, cur non Epigramma scribam,
 Cur non & Lyricis applicuisse velim.
 Responsum accipiat: Non haec, non illa juvabunt,
 Cum mibi materies carminis existet Amor:
 Huic facta est vario gaudens Elegea versu;
 Induit huic mites mitior ipsa sonos:
 Et salit hic posito, demto pede decidit illic;
 Alternasque subit disparate lege vices;
 Atque ita luxuriat nativo picta lepore,
 Et movet, & motas concitat arte faces.
 His ergo numeris castos referamus Amores,
 Quos Vir, & huic sentit juncta Puella Vira.
 Et vos, o bellae Charites, Geniique benigni,
 Queis data felici cura praeesse toro,
 Dicite, sic vobis vernent per tempora flores,
 Perque humeros vestis candida semper eat;
 Dicite, qui geminum teneat cor mutuus ignis,
 Mutua qui gemino vulnera corde facit:
Quae-

* In Nuptiis Antonii Pignatelli Marchionis Sancti Vincencii & Annae Francisciæ Pinelli e Ducibus Acherontiac.

Quaeque in utroque vigent animoque & corpore dotes,
Queis alternatim captus uterque capit:
Blanditiae veneresque omnes in Virgine ludunt;
Formaque non alia est pulcra nitensque magis.
Floret & in Sponso sua gratia, mista decori;
Gloriaque in roseis splendet avita genis.
Hinc numquam alterius divellitur alter ab ore;
Lumina non aliud, quam sibi versa tenent;
Saepe etiam tendunt tenero sibi brachia gestu;
Hic Sponsae e collo pendet, & illa Viri:
Osculaque accipiunt, redunduntque accepta viciissim;
Quae sacra Conjugii datque petitque fides.
Atque ita felices ducunt felicius horas;
Et sat sorte sua nescit uterque frui.
O crescens tam suavis Amor, crescentibus annis,
Corda maritali nueriat usque face;
Atque exspectanti non ultra differat Orbi
Pignora, tam multa saepe petita prece:
Fama manebit in his non interitura Parentum,
Sudorum precio divite parta diu:
Factaque Majorum, factis producta Nepotum,
Laudibus extollent saecula futura suis.
Quo rapior? Nobis non est haec digna referri,
Quae sese ante oculos obtulit, ampla seges.
Sistimus hic; nec enim teneros mibi praeter Amores
A Phoebo majus quid cecinisse datum.
A vobis meliora quidem speramus, Amici,
Quos meritus prima sede locavit honor.
Et mala, seu bona sint, subito quae effecimus oestro,
Apposita his vestiri nominis umbra faverit.

E L E-

E L E G I A IV.*

Mos est, qui nimium paucis hinc crevit ab annis,
 Colligere a variis carmina multa viris:
 Quodque olim raro fieri consueverat usu,
 Plus aequo in nostra redditur Urbe frequens.
 Quare semper ego nunc his, nunc poscor ab illis,
 Odas, aut Elegos, aut Epigramma dare.
 Saepe dedi, quandoque lubens, quandoque rogatus;
 Quamvis res curro nilve parumve meas.
 Nunc cuivis rigide statui quodcumque negandum;
 Et merito; nam sum factus in arte piger.
 Nestio quā causā; seu sit, quod creverit aetas;
 Et modo non placeant, quae placuere prius:
 Sive quod hoc studium nostro sit inutile saeclo;
 Partem Castalii nec juvet esse chori.
 Et sane baec visa est mihi causa potentior una,
 Quae mentem increpitans ad meliora trahit.
 Angustum rem finge domi, dic te esse Poetam;
 Ab! nihil auxilii nomen inane dabit.
 Finge, quod esurias; fructus Parnassia rupes
 Non habet, unde famem tu reparare velis:
 Solum gignit aquas; sed aquae nascuntur ubique,
 Cum quaeras arido pallere ab ore fitim.

Sunt

* In Nuptiis Cajetani Boncompagne-Ludovisi Ducis Arcis, & Lauree Chibac e Principibus Farnesiis.

*Sunt ideo innuptae Musae , quia deficit illis
 Credita dos , multo sed numerata magis:
 Et quas non equidem servaret cura pudoris;
 Servat pauperas virginitatis opes .*
*Phoebus amat nudus per candida membra videri:
 Dj faxint , ne se vix operire queat.*
*Laurus , quae reliquis certe est minus utilis arbos ,
 Una fuit Vatum cingere nata comas .*
*Non igitur , non est animi sententia fallax ,
 Si patior tacito plectra jacere situ .*
*Nec male sentit in hoc vulgus , cui rectius ille ,
 Plusque sapit , qui scit consuluisse sibi :*
*Et misera est merces nomen sperare superstes ;
 Spes haec praesenti tarda medela malo est .*
*At quia consilii plerumque invertitur ordo ;
 Et nova res aliam suadet inire viam ;*
*Nec retinetur idem , quod erat semel ante statutum ;
 Quandoquidem nibil est semper in Orbe ratum :*
*Hinc ego , qui nullos decrevi condere versus ,
 Propositum cogor destituisse meum .*
*Cogor ab incoepio desistere ; cogor & hostes
 Pierides humili conciliare prece :*
*Parcite , clamando , varia est si nostra voluntas ;
 Et vos inconstans nunc fugit , inde vocat .*
*Nam sese ante oculos occasio faustior offert ,
 In qua quaesitum me tacuisse pudet .*
*Egregiae nubunt Anima , vincloque jugali
 Sese Vir magnus , magna Puella ligant .*
*Vir magnus : nequeo plus dicere : magna Puella :
 Et qui plus dicit , dicet & ille minus .*
*Ergo quid referam ? virtutum mole labascit
 Vena , nec est pondus subtinuisse capax .*
Aspera

*Aspera conditio! eum vellem assurgere cantu,
 Impedior, coeptis nec superesse queo.
 Sed magis binc vobis succrescit gloria, Sponsi;
 Dum modo nos inopes copia tanta facit.
 Est vulgare decus, laudari posse; sapitque
 Communem laudem, laudibus esse parem.
 Quam paucis superare datum est gratissima laudum
 Munera; vos solum hoc præstat honore frui.
 Quisnam regales in vestro pectore mores
 Depingat, queis nos sensimus usque rapi?
 Quis titulos Atavum, quis tot fulgentia fastis?
 Nomina percurrat, vel sit Apollo, lyra?
 Vani conatus, similesque volentibus undas
 Aequoris exiguo composuisse cado.
 Qua de re tacuisse libet; studiumque tacendi
 Cedet in obsequii, non sine laude, vicem.*

AD AMICOS.

Quo morbo afficiar, vestrum quis nescit, Amici,
 Cum quibus est series saepe relata mali:
Vos dulci lenire meas sermone querelas;
Vos dubiae menti ferre soletis opem.
Quid tamen haec profunt? Ea vis est insita morbo,
Perfidus ut vinci vix ratione finat.
E stomachi vitio tristissima manat origo,
Qui sibi mandatum non bene manus obit.
Vespere, seu media sunsum sub parte diei,
Aut raro, aut lente concoquit iste cibum:
Inde relutando tumidus per viscera fatus
Fluctuat, ut ventis unda agitata maris;
Hic sursum saliens cerebrum vertigine torquet;
Et pallent, visu deficiente, genae.
Quam refero, minor est nostrae pars aspera labis;
Praeter id, affectus sum graviore malo:
Funebro rerum aspectu mens aegra fatiscit,
Innumera hinc illinc septa pericla timens.
Ordiri insidias ipso vel ab aere moestus
Suspicor, & quovis occubuisse gradu.
Hinc macer est vultus, fuerat qui pinguis; & ipse
Languens, qui nituit floridus ante, color.

Ne-

* In Nuptiis Jacobi-Francisci Milano-Franchi de Aragonia Principis
 Ardoris & Henricae Caracciolo e Principibus Sanctiboni.
 Cum haec scriberet Author, hypocondriaco morbo afficiebatur.

Nescius incedo quo vadam, aut unde revertar;
 Quos manibus prensem, cum quibus ipse loquar.
 Officiis careo; per iter plerumque salutem
 Non soleo imprudens restituisse datam.
 Seu pes, sive caput doleat, non signa doloris
 Innocui, ast reputo proxima signa necis.
 Admoveo ad pulsum digitos, trepidansque requiro,
 Num fese aequatis motibus ille ferat.
 Adstantes rident, facturi pejus & ipsi,
 Si gemerent victi conditione pari.
 Quam facile est sanis, vivendi edicere leges;
 Cernere & in tuto damna aliena loco.
 Haec, durante die, cruciant incommoda; multo
 Sed pejora manent, cum tegit umbra polum:
 Discordes agitant per noctem insomnia sensus;
 Et mille ante oculos spectra rimenda parant.
 Palpitat insolite circum praecordia putmo;
 Spiritus in clauso gutture torpet iners.
 Saepe parum abfuerat, tacita quin aure Sacerdos
 Exciperet culpas, corde dolente, meas.
 Nec solum cogor sine somno ducere noctes;
 Strata sed & nequeo membra locare toro.
 Erigor in cubitum, quo spirem laxior auras;
 Hunc posse experior sustinuisse fidam:
 Atque ita pulsantes numero nimis anxius horas;
 Et queror invisas longius ire moras.
 Mitto, qui teneat me scrupulus inter edendum:
 Nescio pene cibi quod genus ipse legam.
 Hoc leviter gusto, non tanto mordicus illud;
 Omne mihi noctuum, nilque salubre reor.
 Libertas ablata, meo pro more, bibendi;
 Parcius ad potum lance probatur aqua.

E 2

Sed

*Sed primum nimis exiguum supplere necesse est
 Potu alio, praebet quem mibi mane scyphus;
 Hic calidis lymphis herbae miscentur amarae;
 Nam visus, quae stomacho proicit, amaror habet:
 Et doleo; tali cum sim lassatus ab usu,
 Concoctam calidam sorbitione gulam.
 Consilium a Medicis petimus, quot in Urbe morantur;
 Illis ante licet sit data nulla fides.
 Monstratae sunt milles viae; tentavimus omnes:
 Quaelibet aerumnis vana reperta meis.
 Vos unam affertis, cari, solamen, Amici,
 Quo nostra est redi visa repente salus:
 Dicitis, exregiam Sponso nupissime Puellam,
 Qui nostrae princeps Urbis habetur bonos.
 Felix Conjugium, cui praesidet inclita Virtus,
 Incorrupta Fides, & generosus Amor;
 Felices Animae, quas in confortia vitae
 Tam suavis sancto foedere jungit Hymen.
 Vos genas invictum, vos fama, & splendor Avorum,
 Vos morum ad Superos gloria rara vebit.
 Patria quam nimium tenere vos diligit; & jam
 Dulciter impatiens pignora vestra petit.
 Gratulor, & tali gestis mens ebria plausu,
 Ut memorem morbi non sinat esse mei.
 Vos animum interea, Socii, laxate camoenis;
 Et laeti variis luxuriante modis;
 Pars Tuscos Vates, & pars aequare Latinos,
 Graecorum incipiat pars renovare melos;
 Et quia laetiae in partem me poscitis; ecce
 Piscantium lusus concinuisse paro.*

ECL O-

E C L O G A *

C O R T D O N , L Y C I D A S

Piscatores.

Co. **N**ox est; o Lycida, jam desine, parce labori,
Cui vigil bac tota, quis credar? luce vacasti.
 Hic vidi, hic certe te vidi, albescere Caelum,
Et matutinâ crispari fluctus ab aurâ
Cum coepit; te nunc; occaso sole, jacentem;
Hoc etiam scopulo, sociis in rocta receptis,
Aspicio, & miror. Ne tantas fuscipe curas:
Hisce datum satis est; capias suadentis Amici
Consilium; hanc escam, hos calamos, & retia, & hamos,
Haud morâ, linque; domum repetas, atque otia quaeras;
Hi pisces, nec enim pauci, quos cistula servat,
Et nitidi, & vivi, & quales optantur, odorâ
Ornabunt mensam; Phyllis tuâ scitula conjux
Dexteritate suâ lepide de more parabit:
Condimenta suis manibus suavissima calleb,
Apta famem revocare; fame licet ipse per omnem,
Quam vixi, aetatem, numquam caruisse recordor;
Et numquam, plerunque licet tentaverit ante,
Assueri potuit meus ad jejunia venter.
Sed tu, quod caput est, coenae ne forte recuses

Me

* Idem argumentum.

*Me comitem: nec erit sine dono gratia; dicam,
Ob quid ego dicam? quod tu suspensus ab ore
Accipies nostro; & grates mibi laetus habebis.*

Ly. *O Corydon, buc summa redit, quod nostra subire
Tecta cupis, vescique his mecum piscibus optas.*

*Nil renuo; sed mitte, precor, dare verba: lubenter
Te coenae comitem excipio; nec talia certe*

Me promissa movent; nosco haec fallacia, nosco.

Co. *O Lycida, Lycida, cur haec tibi nostra videntur
Immerito suspecta fides? nec fallere nostrum est;
Nec falli tu dignus eris: gravis ista tot annos
Laedit amicitiae contractum injuria foedus.*

Non studeo ventri tam perditus, ipse replendo;
Ut fraudum auxilio coenam subducere tentem:

Non emere hoc vili precio tua prandia euro.

Lx. *Parce tuo Lycidae, teque hoc dixisse putabam
Consutis sine fraude dolis; ut saepe sondales
Inter se susisse solent: nec criminis mendax,
Innocue cum sint mendacia filia, notatur.
Foedus amicitiae non his violatur ab umbris,
Quas parciunt false dicti, & sine felle lepores.
Pone iram, & quoniam nunc est incensa cupidus
Scire, quod ipse tenes, nihil ultra cunctor, eamus:
Tuque viae releves laetis fastidia dictis.*

Co. *E tristi mitem me reddis; tam bene nosti
Te mibi mellita lepide excusare loquela:
Da faciles aures; mox non implere recuso,
Quod tibi promisi; remque ipsam ex ordine pandam.
Nuper ego rediens nostrae Sirenis ab Urbe,
Quo me contuleram, ut precio nonnulla pararem;
Praecipi cursu, quo saepius utor, anbelans,
Consedis ad fontem, vitrea qui limpidus unda
Erum-*

*Erumpit nitida e concba, quam candida fingunt
 Marmora, Olympiacus qua belle excurrere tractus
 Incipit; hic placide prope murmur lene jacentem,
 Et flantes Caelo captantem segniter auras,
 Resque meas volventem animo, me convenit Alcon;
 Et dixit: Corydon, Corydon, quae vidimus! O te
 Quam mala fors versat, quae dulce videre negavit
 Hoc tibi spectaculum: Vultu lectissima Virgo,
 Egregio conjuncta Viro, de Tibridis ora
 Huc buc adveniens, famulatu cincta superbo,
 Ibat ovans, populo circum accurrente per Urbem.
 Ly. Siste hic, ne pergas ultra: quam degegis, ipsam
 Dudum rem teneo; nec enim tam splendida fama
 Conjugii, nostris sese celaverat aris:
 Non ideo, Corydon, reddam tibi forte minores,
 Quas valeo, grates: bis terque audita placebunt,
 Quae nostrae non accipiunt ingratius aures.
 Nunc per iter, quoniam haud aliud pauperrima vita
 Suppeditat, cantemus; ut haec incondita nostrum
 Carmina in illustres Animas testentur amorem.
 Co. Ab, Lycido, ab timeo, ne nostrum ignobile carmen,
 Et rude, & haec solitum per patria litora fundi,
 Despiciant: nostrae non est ea gloria Musae,
 Ut tantis, cum sit negliget, superbiat ausis.
 Ly. Parce metu, Corydon, humiles in honore Camoenae
 Sunt & apud Superos: heroo nata cotburno
 Carmina, non tam sapiunt plerumque nitorem;
 Qualem sub cultu formati simplice cantus.
 Eja age, conceperos jam nunc depone timores:
 Incipe tu; sequar ipse. Sed o cessate parvus per
 Obstrepere, &, posito tantisper murmure, donec
 Tam placidum nostro mulcebimus aera cantu,
 O sco-*

- O scopuli, o fontes, o undae, o aura, tacete:
Co. Quam bella, & nitida est, & amabilis ista Puella:
 Diligite hanc Charites, gremioque forzete tenello.
Ly. O quam suave micans, quam floridus iste Maritus:
 Excipite, o Genii, & tractate benignius illum.
Co. Felix Vir, plusquam felix, semperque beatus,
 Cui datur hac forma nimis emendata Puella.
Ly. Fortunata quidem, tam fausto nata sub astro
 Nupta recens, talcm a Superis sortita Maritum.
Co. Uttere sorte tua, bac uti dignissime Conjux:
 Dulcia dulciculis da dulciter oscula labris.
L. Haec etiam est tua sors, hanc sortem amplectere, Sponsor:
 Excipe dulciculis data dulciter oscula labris.
Co. Longius hanc vitam sic sic producite uterque;
 Atque alii ex aliis veniant felicius anni.
Ly. Sint procul o talem quae vitam incommoda turbent;
 Laetitiaque, jocique adsint, dulcesque lepores.
Co. Candidulae Nymphae, custodes litoris hujus,
 Vota secundate, & vultu ridete sereno.
Ly. Dj pelagi, quorum sub numine vivimus ipsi,
 Nos in spem tantam erectos firmate, precamur.
Cq. Evenere: mihi festivis vocibus Echo
 Assultat, totumque in plausus vertitur aequor.
Ly. Evenere: novo vestitur lumine Caelum,
 Atque repercussis trepidant fulgoribus undae.
Co. Plura darem, m tecla modo propiora patarent.
 En domus, en Phyllis recubans prope limen apertum,
 Quae tota est avide texendis dedita nassis:
 Illam importune, manibus, pedibusque frementes,
 Circumstant nati; & fictis jentacula poscunt
 Lacrimulis; negat illa, & torso irascitur ore;
 Forte dolens operis paulum intercludere cursum:
 In-

*Instantes arcet longe ; rigideque minatur ,
Accusaturam patri , cum venerit , illos :
Nec nos vidit adhuc , nam certe occurseret : eja
Pergamus taciti ; dabimusque repente salutem ,
Quam timide accipiet subita conterrata voce
Illa ; nes buic nostrae deerit sua gratia fraudi .*

F

lusus

L U S V S P I S C A T O R I U S.

DUM procul a curis, quarum sub mole laborat
 Mens addicta Foro, studiisque assueta Clientum,
 Sole sub aestivo, me non ignava sequentem
 Ocia, Pausibyp*i* colles & saxa tenebant;
 Ludit ubi facilis, quae spirat leniter, aura;
 Umbrosaque virent platani; ac depicta jocosas
 Ripa coronat aquas, ridetque salubrior aer:
 Hic populi undantis clamorem oblitus, amica
 Pace fruor, molli in tumulo, quem fecerat alga:
 Grataque piscandi subeuntem munera pubem
 Proximus intueor; cuius pars aequora lustrat
 Exiguo in lembo; immittit pars retia ponto;
 Retia pars immissa trahit; pars propter arenas
 Aut legit, aut lectos componit in orbe rudentes;
 Et fallit duros cantuque jocisque labores:
 Nec minus a pueris duco mea gaudia, saltu
 Qui sese librant nudato corpore in undas;
 Et modo subter aquas se condunt; & modo supra
 Emergunt; agitantque bac, illac motibus aquor.
 Cum subito, ecce tibi, plausu sonuere Profundi
 Concava saxa; novo visum fulgescere Caelum
 Sidere; & insolito vestiri lumine colles;
 Pau-

* In Nuptiis Hadriani Carafae Trajetti Ducis & Thereseae Burgheriae & Principibus Sulmonis.

*Pausilypique jugum, Mergellinaeque recessus,
Et Megarae turres, & Olympica litora, & ahmas
Sebethus pater, & gemina cervice Vesuvius,
(Quae loca tam belle nitidum Cratera coronant)
Festivos referunt festiva in imagine vultus.*

*Portenti quae causa, latet: miramur: & unde
Orta mari extemplo miracula, quaerimus omnes.
Rem Triton aperit (Tritoni pandere cura est
Aequoreo in regno patriae Sirenis honores)
Hic concham lateri appositam prius inflat, & inde
Litoris hospitibus Nymphis, Geniisque locorum,
Neptunoque patri: Laetis Connubia pompis
Excipit, o, inquit, vitrei sacra Numina ponti.
Jam jam gaudet ovans Hadriano conjuge Virgo;
Qui Patriae splendor, nostri qui gloria seculi est;
Quique Carataeae superat praeemota gentis,
Exsurgitque inter titulos sublimis avitos:
Qualis Apollineo laurus gratissima fert,
Aut Pimplae ad fontem, aut Peneia litora circum,
Ulmorum in medio, sese fert alta sub auras.
Ergo juvat plausus cumulare, ac fausto precari
Omina, festivisque opplere his vocibus undas:
Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.*

*Nec mora: Convenere simul, qua parte marinos
Concha dabat sonitus, Nymphaeum exercitus omnis,
Lutea Cymodoce, Thetis aurea, candida Doris,
Atque aliae, formâ egregiae, nitidaeque papillis,
Nudae humeros, agilesque pedes, & crine soluto
(Ut decet, ac pelagi mos obtinet) Inde, moventes
Ad numerum gressus, exercentesque chreas,
Tritonis roseo geminabant carmina ab ore:
Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.*

*Venit & ipse etiam magnas Regnator aquarum;
 Muscosus inter senior se extollere cautes
 Visus, arundineo frontem velatus amittit,
 Aequoreisque inventus equis; quem millia Divum,
 Tyrrhenum quos marmor habet, comitantur eantem;
 Atque chorus Nympharum inter, sua caeruleus Rex
 Subneicit, socio Divorum murmure, vota:
 Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.*
*Tum Piscatores tacito spectacula vulca
 Aspiciunt, gressum retrahunt, ac coeptra morantur;
 Suspenduntque operi dextram, nutuque loquaci
 Hunc ille, hic illum spectat; dein ora resolvunt
 In cantus; & nos siccis cantabimas, ajunt:
 Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.*
*Interea, tam tantus habet salsa aquora plausus,
 Ipse solo recubans mecum una gratuler; & si
 Forte licet, votis vota hæc communibus addo:
 Ut tanto surgat generoso e germine Proles,
 Par Sponsæ, atque Viro, & Majorum nominis heres,
 Nobiliumque decas; cuius virtutibus amplam
 Fata viam sternant, & honorum culmina montrent
 Ardua, semper io augustis calcanda tropaeis;
 Quo longum valeat pretendere gesta Parentum;
 Heroumque augere chorum, & felicibus ausis
 Venturum Patriæ fastos ditare per aevum.
 Haec spero: ne spem, Superi, frustate: secundis
 Hanc precor auspiciis, vultaque fovete sereno.*

LUSUS

L U S U S A G R E S T I S .

M Ollis ubi patriâ deflectit clivus ab Urbe,
Vestitus foliis, & amoenis obfitus umbris,
Ruricolas inter positus viret hortulus aedes;
Dulcis sonatus Naturae, optantis in unum
Delicias conferre omnes. Hic ocia quaerens
Sepositis animas poscit requiescere curis;
Sive sub aetivis ab sole ardentibus horis;
Seu quando blande placidissima frigora spirante
Hiberni sine nube dies, dum purior aether
Invitat lento campestria visere gressu;
Saepe etiam sub vere novo; saepe inter amicos
Autumni menses, arbustis poma ferentes.
Hic viridi circum distinguitur area buxo,
Mille ornata viis, quas flexo industria gyro
Finixerat, & vario donaverat ordine florum:
In medio vitrea serpendo it rivulus undâ,
Qui teneras lambens herbas ferit aëra dulci
Murmure, -jucundo laetans sata pinguis cursu;
Hunc prope, & huic ferme similes imitata susurros
Ad tremulas frondes pacatis obstrepit alis
Sub matutinis ludens algoribus aura:
Et, per vos etiam constat sua gratia ruri,
O ca-

* In Nuptiis Leonardi Tocchi Montis-militum Ducis & Camillee
Cantelmae e Populorum Ducibus.

O carae, & timide lustrantes prata volucres,
 Quae, pictae pompa belle variante colorum,
 Et datis, & cantu accipitis responsa viciissim,
 Quae perculta imis repetit tonallibus etho.

Huc me praeteritis, nullo comitante, diebus
 Contuleram tardo passu, exspectantis ad instar
 Incessu graviore fumem: Vix fluxerat hora,
 Ac rus perzeni; quo tandem ingressus, ab ipso
 Recreor aspettu; captatque hic laxias auras
 Spiritus; & paullum fessas ab itinere vires
 Frondosâ reparo, quam fecerat ornus, in umbra.

Nonnullae hic formâ egregiae, ac aetate puellae,
 Hoc tantum ornatae, quem dat natura, lepore;
 Vestibus his, quales fert mos agrestis, opertae,
 Molle super gramen, qua praeterit unda, jacentes
 Neglecto teneroque situ, fastuque venusto,
 Os decorant rifu, & nutu verbisque jocantur:
 Haec violam lepide pallentem carpit: & illa
 Te, tulipa, aspettu quae versicolore superba es:
 Ista rosam, cui virgineo vestita timore
 Auget nativam rubicunda modestia formam:
 Et vos, candidulo qui sidere pingitis arva,
 Gelsmini, resecant aliae accuratius ungue:
 Atque aliae e viridi dererpunt lilia truncò;
 Lilia vel puro dotem furantia lacti:
 Et simul his Florae donis se molliter ornant,
 Et specie cupiunt hoc splendidiore videri.

Dein laetis omnes iterant concentibus: Hymen,
 O Hymeneae veni, spes o dulcissima amantum;
 Rumpe moras, fer laetitas, fer gaudia tecum:
 Tecum fer dulcesque jocos, mollesque lepores.
 Tu carum, tu mellitum, tu suave levamen

In

*In teneros Sponsis tenere languentibus ignes :
 O Hymen, Hymenae veni ; te pulchra Puella,
 Te juvenis pulcher pulchrum vocat ; excere frontem
 Festivam ; placidum, qui te decet, inde vultum ;
 Per te junguntur fausto Vir Nuptaque nexus ;
 Per te nutritur carae spes vivida prolis.*

*Tum perculsus ego rerum novitate, Quid, inquam,
 Quidne velit florum ornatus ? quid risus in ore ?
 Atque maritalem reddentia nomina pompam ?*

*Has rogo, cuncta brevi doceant. Humanius illae,
 Quam quod par fuerat, referunt mibi talia : Rumor
 Huc modo pervenit, Toccorum e stipite Germanu
 Connubio stabili lectâ cum Virgine jungi :
 Nos dulcæ famâ Heroum, tantique superbo
 Conjugii strepitu ; quamvis sub paupere tecto,
 Fortunâque humili, nostris hic vivimus agris ;
 Hoc, quodcumque sibi est, pignus praestamus amoris,
 Cantantes tenerum sparsæ per gramina carmen ;
 Et pœ laetitia, qua pectora nostra tenentur,
 Nostra coronantes festivo tempora flore.*

*Ipsæ sub haec : Nil vestra moror dulcissima coepit,
 O nimium mihi cara, tenellula turba, Puellæ ;
 Sic faveat vobis Venus, & quicumque parentem
 Circumstant pueri, sibi dantes oscula, Amores ;
 Ergo alacres renovate melos ; lasciviat oestrum
 Molliter, & revocet faciles ad gaudia Musas :
 Nec quia fors tenuis vobis haec suspetit, hoc sunt
 Grata minus monumenta, animi testantia plausum :
 Ipsa etiam cantus non dedignantur agrestes
 Numina ; constructæque novis e frugibus aræ
 Saepius his placuere magis, quam dñe cultu
 Ornatae, in pario referentes marmore fastum.*

Non

Non deerunt, per quos Patriae sua gloria constet,
Illustres animae, Phoebi quos altius ardor
Tollit, & illarum veneratur nomina Pindus;
Quae Sponsae, atque Viri, Majorumque inclyta gesta,
Quae nunc totus habet summis in honoribus Orbis,
Exornent plectro; ut traducta Nepotibus olim
Fama Patrum, mox magnanimos impellat ad ausus;
Expositaque oculis Virtutis imagine, discat
Posteritas, meritis quondam calcata tropaeis,
Ipsa etiam calcare novis vestigia Avorum.
Hic sicut mea dicta: datur, accepique salute;
Discedo: Ipsae iterant laetae festiva Puellae
Carmina; nec minus haec sapiunt iterata leporem.

EPI.

EPITHALAMIUM.

VATES, divini Vates, quos Graecia, felix
 Ingeniorum altrix, & nominis aemula Grai,
 Roma tulit, meritoque omnis venerabitur aetas,
 Et famam & laudes sublimibus inseret astris;
 Si quid adhuc vestri cineres umbraeque sepulta*e*,
 Vitrices aevi, & rumpentes aspera fata,
 Servant Castalii, Phoebo inspirante, furoris;
 Hunc mibi paulisper concedite. Carminis amplam
 Offerri segetem video: Procul hinc rude vulgus,
 Hinc animae procul ignorare. Me insania dulcis
 Occupet; insolitoque ferar correptus ab oestro
 Per Pindi juga, Parnassique biverticis bortos,
 Fundens grande melos. Pudet, ab pudet, inter ovantes
 Italiae plausus, humiles ad plectra Camoenas
 Poscere, & e facili myrto mibi texere fertum.

Ecce novas augusta Domus Farnesia pompas
 Explicat, & numero prolis generosa futurae
 Consulit: en faustis connubia laeta parantur
 Auspiciis; flammisque exultans ventilat Hymen,
 Indutus croceos soccos, & marcidus ebrio
 Lassatoque gradu; cui vincla e floribus una
 Belle contextis, & suavis amaracus umbrat
 Festi-

* In Nuptiis Serenissimi Antonii Farnesii Ducis Parmae, Placentiae,
 Castris, &c. ac Serenissimae Henricae Estensis.

Festivo nitidam frontem sudore madeneam.
Prob Superi, qui Vir qua Virgine jungitur ! An vos
Huic par conjugium innumeris vidistis ab annis,
O Charites ? Quot enim votis ardentibus ante
Fata laborarunt, ut suspirata rediret
Haec auro signanda dies, qua maximus Heros
Egregiam legeret vitae in consortia Sponsam.
Felix, o nimium felix, si immensa cupido,
Qua blande crucior, celebrandi divite vena
Et Sponsam, atque Virum, posset pro viribus aequis
Expleri, & chartis inseribi nobile carmen !
Nam quem te memorem, Antoni, sors unica secti,
Praefidium Lassii, dulcisque & cara tuorum
Invidia, ope raraeque futara superbia prolis ?
Non tu, non inter lusus, & inertia testi
Commoda, non inter nugas ignobilis otii,
Pulchrae ducebas exordia prima juventae.
Credebas te deesse tuis natalibus, istud
Sectando vitae genus, oblitumque supernae
Indolis, a te ipso timide desciscere : Quare,
Qui tibi fervebat sub pectore, vividus ardor,
Impatiensque Orbis tantum hos cognoscere fines,
In quos & nutu, & sceptro dominaris avito,
Ultra pergere amans, tractus lustraverat omnes
Europae, & mores populorum, & maxima Regum
Ingenia, & quod erat spectari a Principe dignum,
Passim observabat ; quo mox assuereret ausis
Grandibus, atque annis fieret prudentia major.
Te vidit plaudens, te summo exceptit honore
Imperii sedes, Germania. Te quoque vidit
Anglia, & obsequio non defuit illa dicando.
Ipsa etiam, ipsa inquam, caput Orbis, Roma, vetustos
Credi-

Credidit in te uno redivivos noscere cives,
 Insignes pace, ac bello, quorum inclita facta
 Annales onerant, atque immortalia fulgent.
 Te cernens proprius laetata est Gallia; & ipse,
 Exemplar Regum, Ludovicus, ad intima tecum
 Colloquia accedens, hanc raro ostendit, amico
 Ore tuo pendere; tuaque in imagine vidit
 Nescio quid simile & genio, & virtutibus acriis
 Consilii mentisque suae; & conceperat altam
 De te spem supra actatem: nam nuncia famae
 Mox acquirendae fuerat praesentia, frontis
 In qua majestas & gratia mista nitebat,
 Incessus gravis; & dulcissima copia fandi,
 Atque gerendarum praeludens gloria rerum.
 Non secus ac, qui gramineis conspexerit arvis
 Formae insignis equum, resudes cui spiritus annos
 Praevenit, elataque animus cervice superbit
 Fervidus, & densus fumat sub naribus ignis;
 Ac stanti indocilis crebro ferit ungula terram,
 Indicum ac bona spes generosi pettoris: illum
 Credit, cum patriis primum e praesepibus actus,
 Accipiens fraenum, in meliores venerit usus
 Magnanimis, euro similem, fore cursibus aptum,
 Spondet ubi meritas vittoribus area palmas;
 Aut si sanguineos, oneratus milite, campos
 Lustrabit, mediosque alacer volitabit in hostes,
 Pugnaturum avide, & terrorem in castra daturum.
 Ita tuae fuerant tenerae decora ampla juventae,
 Prima rudimenta, grandi excurrentia passu,
 Intentata aliis, opera ad sublimia cursum.
 Nam, nisi te dignum, quid non responderat istis
 Principiis, cum iam paulatim adoleverat aetas?

*Deliciae, & communis amor, fortunaque Regni
Diceris; & quot sunt tituli, quos repperit audax
Ambitio, merito scili tibi jure sacrantur.*

*Quam pulchre Pietas animi, & Constantia recti,
Et reserata manus donis, & ubique paratum,
Hinc fontes premere, hinc miseris succurrere pectus,
Efficiunt; ut tu, simul ac metuaris, ameris;
Nullaque subiectas discordia concitet urbes.*

*Te quoque non sileam, tanto conjuncta Marito,
Henrica, Extensi magnum de Stipite Germen,
Et major sexu, majorque aetate Virago.
Nosco equidem, quam tu belle formata paterno
Sub studio fueris. Vel adhuc te infante, tenellos
Ille tibi instruxit mores; docuitque videri
Ipso te natam patre dignam; ipsumque futurum
Te natam clarum fortunatumque parentem.*

*Quid mirum, si in te fulgent, crescentibus annis,
Tam rarae dotes animi, quibus omnium ubique
Corda trabis, cunctosque adigis te extollere Coelo.
Tractando facilis vis a quocumque rogari;
In quaecumque capis descendere vota rogantis.
Hoc regnare putas, Regno clementius uti:
Nec tibi, sed vixisse aliis, hoc vivere censcs.
His tamen, his opibus, dederat quas mascula Virtus,
Junxit opes Natura suas; speciemque decoram,
Et pulchram; qua nil magis, addidit. Illa ruborem
Est furata rosis, lac est furata ligustris,
Ut multos placido tibi spargeret ore lepores:
Fingendis oculis, quicquid formosius usquam est,
Congessit, fecitque duas, tua lumina, stellas,
Mixta tamen suavi, quo crescit gratia, risu:
Qualis saepe dies, aurora oriente, videretur*

Ful-

*Fulgere, cum coelum, discusſis protinus umbris
 Parus apparet, matutinaeque pruinae
 Luce repercuſſae, ſolis quae nunciat ortum,
 Scintillant teneris diſfuſae molliter berbis;
 Et zephyrus leni diſcurrens prata fuſurro
 Crifpat aquas rivi, curſu reſoventis aprico
 Mille coloratos diuerſo ſanguine flores.*

*Haec, o Nupta, tamen dos formae augetur ab illis
 Ingenuis vitae ſtudiis, quibus ipſa colendis
 Saepe vacas, gaudeſque omnes adjungere curas.
 Praecipue, quae te ſaltando vincat, & artus
 Componat meliore ſitu, ſpatiumque recurrens,
 Geſtum diſtinguat docte magis, Itala tellus
 Non aſpexit adhuc, non aſpectura ſubinde eſt.
 Forte minus ſaltu iſignis, minus apta moventis
 In numerum pedibus poterat Diana videri;
 Cum Dea per Cyntbi ſaltus, riſuſque virentes
 Eurotae, nodo crines religata fluentes,
 Et nitidas rubicunda genas, riſuſque colorans
 Aspetuum, Nympbis, vicina coletibus arva,
 Speſtaclum ſublime ſui palcherrima praebet,
 Exercetque choros, ſpeſtantum lumina paſcens:
 Non quatit aut qvercus frondes, aut ſibilar auras:
 Pigra movet ſeſe unda: pecus non ruminat herbas;
 Nec ſolitis timidum ſolvit belatibus ora;
 Sed velut attonitum in rerum miracula, tanti,
 Grefſu ſuſpenſum, veneratur Numinis artem.
 Sed quo progredior male cautus? Quis calor amens
 Me tenet? iñfirmasque impellit ad ardua vires?
 Ah! ſemper non eſt felix audacia: Tutum
 Non ſemper, fragili Oceanum tentare phaſelo.
 Vos ſponſi, voſmet vobis laus amplior eſtis.*

Alte-

*Alterius frustra laudem expectatis ab ore:
Orbi vestra satis, qui sitis, nomina monstrant,
Et gravida imperio, & rebus majoribus apta,
Et famam Italiae merito factura superbam.
Vestra etiam Soboles, & qui nascentur ab illa,
Tantorum vitti gestorum lumine, noscent
Inactum a vobis sibi jam nihil esse relatum,
Praeter quam stimulos imitandi exempla parentum.*

EPI.

EPIGRAMMATA.

DULCIS Hymen, quid agis? Teneris cur molliter herbis
Languidus ipse super ponis utrumque latus?

*Ignoras, qui Vir Sponsae, quae Sponsa Marito
Jungitur? Unde tua est haec mora tanta, rogo?*

*Fax extincta manu est; laurus de fronde revulsus;
Nullaque laetitiae signa jugalis babes.*

*Nil mirum, inquit Hymen; quae sunt mea munia, Virtus.
Explicat: Huic uni cedere debueram.*

EPI.

* In Nuptiis Thomae Caraccioli Marchionis Cesae-Arboris & Hippolytae de Dura.

RECE sub invito, cuius praeſentia laetos
Nos reddit, quatias, o Hymenace, faces;

Nobiliumque animos urge ad connubia; magnis.
Ut nova perpetuo floreat Aula Viris.

Haec tu noſtra impleſ, Sangri, communia vota;
Dum Sponsae illuſtri te ſociare paras.

Dulce tibi ſolamen erit, te cernere patrem;
Et natos Regi ſiſtere poſſe tuo.

Nec poteris donum Regi dare carius iſto;
Et Rex non poterit carius accipere.

EPI.

In Nuptiis Reymundi Sangtii Princepis Sancti Severi & Carolos-
te Cajetanus e Ducibus Laurentianis.

E P I G R A M M A III.***

LONGA Aetas, firmata Salus, Pax, Gaudia, Proles,
Vos, oro, semper, Nuptaque Virque, beent.

Ista parum: majora precor fint praemia utriusque,
Mentis opes, Virtus, Gloria, Plausus, Honor,

E P I G R A M M A IV.***

HAC Virtus, & Amor coēunt in imagine: Mirum;
Cum pugnent Virtus mascula, mollis Amor,

E P I G R A M M A V.***

EN Pallas rediviva, cupis si noscere mores:
Si formam spectas, en rediviva Venus.

HEN.

* In Nuptiis Antonii Capucii-Minutuli & Principibus Canufi & Theresiae Filingeriae e Principibus Arianelli.

** Ad Viri Iconem.

*** Ad Iconem Sponsae.

H

IN te blanditiae , jocique molles
 Ludunt suaviter , elegans Puella:
 Os splendet nitidum venustulumque;
 Ridentesque superbiunt ocelli :
 Et flexi ingenio suo capilli
 Perbelli niveos radunt per armos :
 Dulce frons decus explicat ; tuusque
 Sermo suaviloquo flens ab ore
 Grati nescio quid sapit leporis ;
 Rebus ut retrahas negotiosis
 Efficit cupidum tui Maritum .
 Tu , solatiolum , levabis olli
 Affectus animi severiores :
 Et mox oscula tot dabis , quot ille
 Poscet ; reddet & ille , quot reposces :
 Ducetisque dies amoeniores
 Inter delicias voluptuosas .

CAR-

* In Nuptiis Andreae Coppola Ducis Cantiani & Lauree Caraccio-
lo e Marchionibus Amorusi.

CARMINUM LIBER III.

V A R I A.

E L E G I A I.

PAX animi, quo suave mori, quo vivere dulce est,
 Cur inimica mibi, non reditura fugis?
 Aut loquor, aut scribo, aut incedo, aut force quiesco;
 Turbant me incessus, scripta, loquela, quies.
 Infelix, lacrimans, exfanguis, pallidus, aeger
 Et vivo, & vitae taedet ubique meae.
 Haec merito eveniunt: Argentum amisimus: ecquis
 Tantae jacturae par queat esse dolor?
 Interea, ut nimiis relevarem pectora curis;
 Sebet ad ripas incomitatus eo:
 Atque ferens mecum suspiria; laxius illa
 Effundo ad rivum praeterireuntis aquae.

Hic

* In funere Cajetani Argenti Sac. Reg. Consilii Neapolitanii Praefidis.

*Hic inter viridis jucunda silentia prati,
 Dum piger est ventus, dum piger amnis abit;
 Ipse sedens humili frondosae vitis in umbra,
 Lumina subclaudo, victa sopore gravi.
 In somnis rerum mibi grata occarrit imago;
 Et patrio videor jam procul ire solo.
 Incertus, timidusque vagor; feror hospes in Orbem
 Ignotum; atque oculis sunt nova cuncta miss:
 Coelum aliud, non sol idem, diversaque tellus
 Apparet; solito mitior aura strepit.
 Laeta hic planities, herbis vestita minutis;
 Cincta hinc lauretis, mollibus inde jugis.
 In medio Templum erigitur: par cognita nusquam
 Majestas; tanta mole superbit opus.
 Cujus sit Templum, ignoro; si quaerere vellem,
 Ante fores nullas, qui docuisset, erat.
 Attonito similis volvo mea lumina; qualis,
 Qui non visa prius viderat, esse solet.
 Haec inter non nota meas vox fertur ad aures:
 Templum quod spectas, hoc sibi fecit Honor.
 Pronus humi veneror sanctissima limina; nosco,
 Quanta sit plenus religione locus.
 Surgo, atque ingredior: terret reverentia tanti
 Numinis, & calco corde pavente solum.
 Singula contemplor: fumant altaria thure:
 Ulritur accenso cedrus odora foco:
 Flore novo sparsa est tellus: laquearia falgent
 Ex auro; est pretium grande labore minus.
 Stant circum Heroum vultus, qui Palladis artes
 Egregie studiis excoluere suis.
 Multos praetereo; sed in his, Sapientia Legum
 Quos ornat, nimia sedulitate moror.*

Eccœ

*Ecce Coruncanus, qui primus in Urbe Quiritum
 Ante alios fertur Jus docuisse palam.
 Aelius hic, fraterque suus, qui paupere censu,
 Insignes fuerant a probitate viri.
 Tu quoque, Semproni, cui summa peritia, dici
 Ut mereas, nulli quod meruere, Σοφοις.
 Dein Cato subsequitur; vix non pigra notandis.
 Libertas, tacito non teper ore rigor.
 Scaevola Pontificis vittâ redimitus; & ipse
 Praeturae falgens munere Brutus adest.
 Manlius his comes est, renuit qui parcere Nato;
 Plus civis partes, quam patris esse, ratus.
 Et Draiso locus est: Quid non industria vincit?
 Caecus enim Juri non sine laude vacat.
 Proximas huic Rufus, qui firmo pectore, sortis,
 Aut durae, aut facilis, sprexit utramque vicem.
 Atque alii, quorum ingenio, ac sudore parata est
 Maxima fortunae gloria, Roma, tuae.
 Hos inter raelata basis, praeincta columnis,
 Surgebat, Statuam mox habitura super:
 Hanc Statuam multâ faber exornaverat arte;
 Pars perfecta nitet, pars rudis exstat adhuc:
 Nil fronti, nil luminibus, nil naribus, & nil
 Temporibus geminis deficit, atque genis.
 Vestis erat pro parte rudis; sed ueste sub illa
 Forma magistratus cooperat esse togae.
 Attente intueor: velut is, qui nostere credit,
 Quem videt, & qui sit, voce referre nequit.
 Forte duplex cerno signatum in marmore carmen;
 Idque reponendum sub base carmen erat.
HIC EST ARGENTVS QVID PLVRA? VEL OMNIA PRAESTAT
DICERE. VEL. NOMEN. COMMEMORASSE. SAT. EST
*Obstu-**

*Obstupui, aspettuque novo gavisus, amicā
 Sorte fruor, quae me sic inopina beat!*
*Et, p̄ae laetitiae lacrimis mibi dulce subortis,
 Ter coepi tales fundere ab ore sonos:*
*O major te ipso, cuius sub pondere laudum
 Lassa diu, vero Fama minora canit:*
*O dulcem invidiam facture nepotibus; o quis
 Grande ornementum posteritatis eris:*
*Jure quidem generosus Honor te sede sub ista,
 Pronus in obsequium, nobis iore locat.*
*Cingeris hic circum tantis Heroibus; & tu,
 Ut sol, hos humiles te sociare vides.*
Haec tua, muta licet, monumenta exoscular; istas;
Quas fundo, lacrimas, pignus amoris, habe:
Pignus amoris, babe suspiria, queis mea pasco
Pectora, queis alitur nocte dieque dolor;
Ille dolor, quo confectus mox languit Orbis,
Cum sua, te extinto, commoda lapsa gemat.
Talia dum refero, mira dulcedine captus,
Excitor a somno, reddor & ipse mibi.
Non sunt, exclamo, non sunt haec somnia vana:
Nescio quid somno faysius omen inest.
Tu me, Phoebe, regis: duce te, spectacula novis,
Venturis seculis non caritura fide.
Quo non pervenient tantarum nuncia rerum?
Quis portenti expers angulus Orbis erit?
Immo ubicumque mihi gens conclamare videtur:
Numquam Virtuti praemia fraudat Honor.

ELE-

ELEGIA II.*

AD ALEXIUM NICOLAUM ROSSI.

NE renova luctus; durum est; quod poscis, Alexi;
 Ab tibi me facilem non finit esse dolor.
Quis culpae id tribuat? Sorti tribuatur acerbæ
 Iste recusandi, quo premor ipse, pudor.
 Me celebrare jubes Argenti funera cantu:
 Define; ne jubeas hoc mibi; flere jube.
 Flere decet; nec flere mei indignantur ocelli:
 Flent noctu, flendo continuantque diem.
 Dum scribo hos elegos, fletu scriptura rigatur;
 Nec satis agnoscit, sic maculata, potest.
 Abstergo lacrimas: suspiro: postea rursum
 Scribo; sed rursum fleras ab ore cadit.
 Tot lacrimæ rursum scribendi sistere cogunt;
 Cogunt e manibus depositisse stilum:
 Pagina nam spissis vitiata est tota lituris;
 Nec bene formata est littera quaque notis.
 Immo aliud scriptum, quam quod scripsisse volebam,
 Aspicio; & dubito, sim modo scriptor ego:
 Non secus ut, alio pergens, quam pergere tentat,
 Nescit num tulerit, quo tulit ipse, pedes.
 Si poscam auxilium a Misis; labor irriteus: illæ
 Non minus auxilii, cuius egemus, egent:
Qui-

* Idem argumentum.

Quisnam qui dobeat, poterit lenire dolentem?
Vel quis opem flenti, cum float ipse, ferat?
Tunc una mecum, jam spe dejectus ab omni,
Hos trepidâ incipio mittere voce sonos:
Ab nimis est jactura gravis! Venientia quaenam
Secla Virum, Superi quem rapuere, dabunt?
Ab nimis est jactura gravis! Sperare licebit;
Sed tantum haud facile est, obtinuisse Virum.
Jam video, nostrae quae lux crepta sit Urbi;
Quive malis terror, praesidiumque bonis.
Illam quis dabit erectam ad sublimia mentem,
In qua nescio quis spiritus intus erat?
Spiritus ardentes fundens per lumina flamas,
Queis alitur virtus, nec pigra serpit humi:
Quem merito vidit sublimi sede locatum
Curia, Jus sancte reddere cuique suum;
Et regere afflictos, & ubique levare jacentes;
Et praesto cunctis ferre libenter opem.
Haec dico, haec semper turbatâ mente revolvo:
Haec flendi causam dant, iterantque mihi.
I, fletum cohibe? potius nec flamma feratur
Sursum; nec jactus tendat ad ima lapis:
Luce sua potius careat sol, aquora motu;
Et retro fontes, unde oriuntur, eant.
Ergo privato, lacrimae, me pascite luctu;
Moeftitiae comites sitis ubique meae.
Dilettæ lacrimæ, puro de sanguine natae,
Doctæ, cum fas est, largius ire genis,
Tum, sino, cestetis, cestet cum causa dolendi;
Duretis, duret si tamen illa, volo:
Vos tenere amplector; vestros exoscular imbres:
Poena sit, aut ea pax, quam datis, una placet.
Hoc

*Hoc habeo, quod Alexi, tibi referare necessum est:
Parcas, implevi si tua iussa minus.
Qua causa impediari, nostis. Damna veris illum,
Proclivis qui vult esse, sed esse nequis?*

E L E G I A III.

AD JOHANNEM BAPTISTAM CAPASSUM.

QUID jussu, Capase, tuo me rogis amico,
 Rursus nostra rudi sumere plectra manu?
 Non ea, non equidem est negligetac gloria Musae,
 Quo valeat jussus illa subire tuos.
 Jamque diu annosā pendet mea fistula quercu;
 Fistula vulgari nonnisi facta sono.
 Jamque diu studiis animum gravioribus orno;
 Seria post lusus jam renuere locum:
 Nostraque non ultro facilis mens fertur ab oestro;
 Et nec sponte sua carmen ab ore fluit:
 Immo etiam numeros, quos aure probavimus olim,
 Conor nunc digitis saepe probare meis:
 Ah! metuens, ne forte mibi contractior alter;
 Neu versus justo longior alter eat.
 Phoebus ob id procul a Pimplae me detinet unda;
 Clamosique jubet limen adire Fori;
 Cultus ubi sermonis abest; abi gratia Musis
 Nulla patet; Vari nullas habetur bonos:
 Atque ubi fas, posito libros evolvere plectro,
 Sive, o Balde, tuos, Bartole, sive tuos.
 Ergo quid tantis comirem me Vatibus optas?
 Turpe est tot claros inter adeffe Viros.

Quem

* Dum Johannes Baptista Salernus e Societate Jesu sacra Purpura
designatur.

Quem canis, ac cecinisse jubes, sublimia poscit.
 Materies non est viribus aequa meis.
 Quaere alios famâ insignes, curisque folutor;
 Quique inter ducunt ocia docta dies;
 Majoresque aevio Phoebeâ tempora lauro
 Impediunt, patrios nobilitantque lares.
 Hos tecum socios suscepit adjunge labori:
 Horum ope ne pigeat grandia coepita sequi.
 Altius assurgat felici Egyptius oestro;
 Cantet & hetruscâ carmina comta lyra:
 Vicus, noster amor, dicendi excultus in arte,
 Exsuperet versus, blande Catulle, tuos:
 Carus & in primis revocet Galitiae Musam;
 Et breve, more suo, sed grave, gignat opus:
 Scribat & egregius lepidam Mazochius Oden,
 In qua fint veteres, queis scatet ille, sales:
 Spagnolus, dulces Vates dulcissimus inter,
 Itala suscipiat plebra mouere manu:
 Tuque etiam, Fraterque tuus, sociusque Cyrillus,
 Non semel auditum fundite ab ore melos;
 Quale decet famam, quae vos super aethera tollit;
 Et quae vos dignos posteritate facit:
 Ac plausu unanimi percurrite gesta Salerni;
 Gestâ triumphali concelebranda tubâ:
 Cui modo, quae meritis longe sublimibus emta est,
 Ornatura humeros Purpura sacra venit:
 Cui non quae sitos Virtus largitur bonores;
 Spretaque sed capiti debita serta parat.
 Dicite, mox Orbi quantum decus afferet Heros,
 Magnus consilio, nec pietate minor:
 Dicite, quale sibi tutamen habebit in illo
 Religio, adscribat quem sibi Roma Patrem.
 I 2 Atque

*Atque bac, atque aliâ subnectite laude coronâ;
Quas lege, quas letas, huic age siste Viro:
Meque finas iterum sedes lustrare Forenses;
Et terere arreptas, auspice sorte, vias.*

E L E -

NON semper nostras postcunt Connubia Musas;
 Vertimus Aonias ad sacra Claustra fides:
 Non habitu egreditur molli vestita Poësis,
 Qualis visa eadem saepius ante fuit:
 Non, Hymen, Hymenae veni, modo verberat aures;
 Et neque per Vatum plectra triumphat Amor,
 Altius assurgit carmen; meritoque superbit
 Noster materia splendidiore stilus.
 Ipsa suo tandem splendori redditâ Virtus
 Jam datur in summo concelebranda Viro.
 De te, qui claros gestis sublimibus ortus,
 Brancati, superas, conscius ipse loquor;
 Natus ad ornandum, quod nos modo vivimus, aevum,
 Laude quidem falges, invidisque super:
 Hinc bene transactos studio, ac pietate labores
 In primo annorum flore coronat bonos.
 Jam meritas ultro veniens tegit Insula crines;
 Jam Pastoralis virga gerenda datur:
 Haec primaeva sacri collata insignia fastus
 In te quam belle, Vir generose, niteat.

Te

* Dum Archangelus Brancatius Ordinis D. Benedicti, Abbas Monasterii Montis Cefui elegit.

Te spectaturi per totam accurrimus Urbem;
 Et tu spectantes visus ubique beas:
 Majestas & Amor, raro simul ire reperti,
 Concordes in te foedus inire student.
 Discimus hinc, quam rara tuam Prudentia mentem
 Occupat, & morum quis tibi Candor inest.
 Sed non hic, mihi crede, morabitur impigra Virtus;
 Jam mox ulterius progredietur bonos:
 Dulce rudimentum meditantis grandia famae
 Sunt haec, quae nuper praemia sponte dedit.
 Nunc quasi secretâ tibi gloria ludat in umbra;
 Post toto pomposa explicet orbe suos:
 Jam properant primas tua maxima gesta Tiaras;
 Teque sacrum exspectant plurima regna ducem.
 Nec, nisi me fallit sententia, longius ibit,
 Cum dabit & plausus inclyta Roma suos;
 Acceptura magis, quam collatura decorem,
 Purpura circum humeros ambiat ire tuos.
 Quin licet sperare, tuam labentibus annis
 Virtutem excelsa sede videre futuram.
 Tunc a te totus votis ardentibus Orbis
 Accipiet leges cernuus ante pedes:
 Incipient iterum tunc aurea currere seculæ;
 Secla sub auspiciis aurea facta tuis.
 Haec vacuis, plerumque domi, quibus ocior, boris
 Exciderant plectro carmina pauca meo:
 Nam excusatum Sociis repetentibus illa,
 Quod sint tam celebri non ea digna Viro;
 Et simul erubui, clarissima lumina Vatum
 Ipsorum numero me residere, pati:
 Dum me pene fugit Latii sermonis imago,
 Qua, pro more, loqui turba Forensis amat:
 Atque

*Atque laborando; versus vix integer exit,
Deficiente aliquo, vel superante pede:
Sed tandem officiis cari vicere Sodales;
Quorum, non levius est gloria, iussa sequi.*

ECLO.

M Y L C O N , E T M O P S U S.

AD Melitae vitreas Mylcon confederat undas
 Piscator; zephyrosque leves, & amabilis oct.
 Captabat vacuus placido solertia cantu;
 Muscus ubi vivo de pumice spirat odorem,
 Et mites venti strepitu per inane loquaci;
 Inter se belle ludunt; atque ipsa jocose
 Lympba furens, lambit virides nitidissima ripas:
 Ac vicinus ubi mons luxuriantibus urbis
 Vestitur, platanusque apricas commodat umbras;
 Queis tremula aspectu vario depingitur unda.
 Ille suos auris hic commendabat amores;
 Et qua ferret amans, dulci languebat ab ira:
 Olli praeruptae rupes, scopulique sonantes.
 Acceptas socio reddebat murmure voces.
 Interea celeri sulcaba remige pontum
 Mopssus, perque fretum nudus sudabat agendo
 Magna vi cymbam; qui vix, Mylcone reviso,
 O Mylcon, Mylcon, iterumque iterumque vocabat:
 Postea cum litus tenuit; te quaerimus inquit
 O Mylcon, animae Mylcon pars altera nostrae:
 MYL. Quid poscis, queis esse parem me rebus agendis,
 Mopse, putas? adsum, jubetas, ubicumque necesse est
 Omnem

* Dum Princeps Antonius Emanuel de Vilbena Magnus Sacrae Religionis Hierosolymitanæ Magister eligitur.

*Omnem fuscipiam tecum comitante laborem.
At modo quid causae est, cur has perductus ad undas,
Insolitum lacto risum portendis in ore?
Pande, quid hoc sibi vult: certe, ni fallimur, affers
Huc aliquid tu forte novi, quod gratius aures
Accipient: an rem proprius tetigisse videbor?*

MOPS. *O si tu, maneant quae nos modo gaudia, scires;
O inquam, si tu scires, mille oscula, mille
Amplexus sine fine dare; similisque furenti
Nunc bac, nunc illac sine lege, sine ordine, Mylcon
Saltares, caneres, impleres omnia plausu.*

MYL. *Dic mihi, Mopse, oro, totis conatibus oro,
Haud mora, laetitiae cunctas ab origine causas.*

MOPS. *Ille Heros (hunc nonne tenes?) ille inclitus Heros
Cui nomen ... Sed non sat nominis ipse recordor;
Et labiis habui nuper primoribus illud:
Quantum non meminisse dolet! sed siste parumper,
Fac, dextrâ fronti appositâ, meditantis ad instar,
In mentem hoc revocetur ... at at jam suspetit: Ille
Emanuel, famâ insignis, rebusque peractis,
Quem saepe audieras referentem ex hoste triumphos,
Et meritâ ornantem victoria tempora lauro;
Ille est, ille inquam (sic tota accepimus Urbe)
Tot tantosque Viros inter, qui temperet unus
Hanc Urbem lectus, nostrum tueatur & aequor:
Hic bene nos sperare jubet; felicia spondet
Tempora, non umquam tristi turbanda dolore.*

MYL. *O pescatores socii, seponite curas;
Huc properate: O quam laetus defertur ab Urbe
Nuncius: ad Coelum geminas extollite palmas:
Reddite Coelitus grates: cursabimus undas
Non ultra timidi; quique has crudelius oras*

K

Infr.

*Inficiet, jam nullus erit : Pax laeta rigebit
 Litoribus nostris : Solus vim sentiat hostis,
 Qui colit Odrysias injustis ritibus aras ;
 Ploret & infidam devicta superbia Thracum:
 Et Crux, spreta prius, Solis evecta sub altis
 Fulgeat ; atque Ducum nitido decus augeat ostro;
 Rursum & uero vixtrix, Oriente subacto,
 Excipiat cultum, & prisco se reddat honori ;
 Ac libertati sese sacra Numinis Urna
 Restituat : Syrias pavidus nec lustret arenas
 Tristis ab extrema veniens regione viator,
 Cara Dei visuras ibi vestigia mortis :
 Sed nos quid cessamus adhuc ? Cur promere tantus
 Non liceat, laudesque Viri percurrere ? ut aequor
 Emanuel distat tractus resonare per omnes,
 Nomine & a tanto percussa superbiat aura.*

MOPS. O utinam, Mylcon, non impar viribus effeſſe

*Hoc opas : anne decet tenui cecinisse tamdene
 Quem non ipſe quidem posset crinitus Apollo ?
 At nos vix miseri sarcire haec retia nocti,
 Moribus imbuti plicantum, atque arte natandi,
 Quem cultus nativus abeft, ac gratia dittis,
 Verbaque ab ore fluente nullo condita lepore,
 In medium, dic, quos cantas proferre valemus ?*

MYL. Mopſe, metu parcas : non is ſibi grandia poſcit.

*Exiguis in rebus ineft ſua ſaepe voluptas :
 Et quo ſimplicius, tanto eft optatius olli
 Carmen ; & hor noſtros non dedignatur honores.*

MOPS. Vera putas, Mylcon ; ſed cras meditata canemus,

Et meliora Domum, ſole inclinante, vocamur.

Hic ubi me cari cara cum conjuſe Nati

Appofita parcis dapibus jam paupere mensa

Jejuni

*Jejuni exspectant foribus, vacuoque morantem
Frustrant ventre famem; patro proin ductus amore
Consulere his studeo: verum cum cingar ab illis,
Ad mensam de more sedens, haec inter edendum
Narrabo: tum quisque meo pendebit ab ore,
Prandia majori gustans aspersa sapore.
MYL. Hic cras te exspecto: quovis, non immoror, ito.*

E P I G R A M M A I.*

INGREDERE hoc Templum, Dius cui praesidet Ales,
CAROLE, festivâ nunc redeunte die.

Ille tuus Dux est, medio quem pectori gestas:
Hoc Duce bella geris; hoc duce vittor eris.

Nec Siren tantum te Rege superbiet; ultra
Grandius extendes Nomen & Imperium.

E P I G R A M M A II.**

HAEC nova praeteritis addit Spectacula Siren,
Quo fauste celebret Regia vincula tori.

Quaevis materia, quaevis nitet arte supellex;
Sparsa alibi, hoc uno tota coatta loco est.

Inlyte Rex, & par Regi letissima Conjux,
Pascite in hoc rerum lumina vestra sita.

Nunc damus bac: dabimus majora, faventibus astris;
Altera cum Genitrix, cum Pater alter erit.

E P I-

* Rex noster Carolus Borbonius adit Templum Spiritus Sancti, ejus
die festo.

** In Arcu dextero Fori, ubi institutae sunt Nundinae Neapoli apud
Castrum novum, ob Nuptias ejusdem Regis nostri Caroli Borbonii cum
Maria Amalia Walburga.

E P I G R A M M A III.*

Hoc variâ expositum vendendâ merce Theatrum,
Laetitiae, & Pacis praemia cara notat.

Arma jacent: Tormenta silent: dominantur Amores:
Jam Sponsus Rex est: Belliger ante fuit.

Nunc transalpa placent sub Marte pericla, labores;
Dum festivus Hymen patria tellâ beat.

Haec duo firmandis conducunt Numinâ Regnis:
Regna parat Mavors; Regnâque servat Hymen.

E P I G R A M M A IV.**

NON frustrata diu communia vota fuere:
Conjugii donis incipit Aula frui.

Jure igitur tanto surgunt Spectacula fastu,
Daratarâ parum, sed renovanda brevi.

E P I.

* In Arcu opposito.

** In Foribus Regii Palatii, ob natam Primogenitam Regis Caroli Borbonii.

CAROLE, jam Pater es: jam Mater AMALIA: dici
Nil mage jucundum, nil mage dulce potest.

*Gloria regnandi felices reddidit ambos;
Sed non regnandi gloria sola juvat.*

*Haec fato tandem cedit, ni vita Parentum
Perpetuo in Natis sit rediviva suis.*

PLAUDITE: luce nova Solium Regale coruscat:
Matre suâ Proles, & Patre digna venit.

*Post banc Natorum longus numerabitur ordo;
Quicis olim Deus bac, & nova Regna dabit:*

*Ut toto super Orbe potentibus imperet armis
Nullo Progenies interitura die.*

EPI-

* Latere ex uno.
** Altero ex latere.

E P I G R A M M A VII.*

TURRIS, quam tolli Rex imperat, indicat Orbi,
Fortiter a tanto Principe cuncta geri.

*At quia nascuntur fortes e fortibus; ibunt
Invicti ad Natos haec documenta Patris.*

E P I G R A M M A VIII.**

NON oculis tantum subiecta cibaria, merces:
Haec manibus, Cives, integra praeda data est.

*Dicite, dum rapitis: Vivat Rex, Sponsaque, Proles;
Arque cito haec redeant gaudia Prole novâ.*

EPI-

* In elevata Turri.
** Ubi Congiarium Populo datum.

E P I G R A M M A IX.

BINA venena juvant, Dictum vetus: Ergo bibamus;
Nam duplex recreat languida membra calor.

Si Calor aestivus minuit de corpore vires;
Vires laeta suo Vina calore fovent.

E P I G R A M M A X.

NATURAE viatrix*, ratione carentia bruta,
Ars facit, ut distent a ratione parum.

Saepius haec narrata solent portenta refelli:
Hic testes oculi, si dubitabis, erunt.

E P I-

* In Cella Vinaria Nundinarum, quae aestivis temporibus aetac
ad Seberthum.

** In loco, qui apud easdem Nundinas extractus est, ubi equus
mira praebebat spectacula.

E P I G R A M M A XI.

AULA patet: quod postis, babes: decumbere fas est:
Stare licet: datur hic ludere, sive loqui:

Dulce est arbitrium, quo fert sua quemque voluptas,
Hoc vario aspettu, deliciisque frui,

E P I G R A M M A XII. **

ARTOCREAS gusta: calidum sartagine fumat;
Et multo eximius certat odore sapor.

Non semel, aut iterum, sed terque quaterque placebit
Gustare; & saturo ventre redire domum.

EPI-

* In harum Nundinarum Pinacotheca.

** Ibidem, ad Crustulariam tabernam.

L

E P I G R A M M A XIII.

O BELLAE, & carae, cultum quae pingitis agrum,
 Seu niveae sitis, purpureaeve rosae;

Ab! finite, ut manibus possim vos carpere: vestrae
Non fur, sed custos virginitatis ero:

Vester erit melior, quam qui fuit hactenus, usus;
Et mage vester erit nobilitatus honor:

Amplius haud molles lasciviet inter amores
Gratia, quae in foliis, quaeque in odore viget:

E vobis fertum intexam; capitique Puellae
Imponam, quae sunt tota sacrata Deo est.

Id lucro cedet; nam vestra fugacior, uno
Duratura die, vita perennis erit.

EPI.

* Ob Puellam, quae tecris in Claustris se Deo devovet.

E P I G R A M M A XIV.***

SCIPIO hic est; non Is, quo viita est Africa; at Ille,
Aeternum pariet cui Cleopatra decus.

E P I G R A M M A XV.***

HOSPES, quaere locum, qui sit formosior isto;
Tum dic, si qua Domus pulchrior esse potest.

Ingredere, & specta colles, mare, litus, & Urbem:
Quid, quod delicias addere possit, habes?

E P I G R A M M A XVI.***

ORATOR primus coetu appellaris ab omni:
Postremus (cum non sis imitandus) eris.

EPI-

* In Ieonem Scipionis Cigalse, e Principibus Tirioli, quae est ap-
picta Tragoediae typis editae, cui titulus, Cleopatra.

** Ante fores Domus, Neapoli in litore Olympiaco positae.

*** Ad P. Bernardum-Mariam Giacchi e Capuccinorum familia.

E P I G R A M M A X V I I .

HAEC aqua pura , salit quae puro e marmore , paras
Nos Coeli Sponso posse placere , docet .

E P I G R A M M A X V I I I .

OH ! quanto meliora dabit solatia Coelum ,
Si Fons deliciis tanta dat iste suis .

E P I G R A M M A X I X .

IGNIS sub forma Dius sese exhibet Ales ,
Cujus in Aede sacra , docte Philippe , tonas .

Ut Terrae , Coeli sic ignis , lucet , & ardetz
Nostro in corde ardet ; lucet in ore tua .

E P I -

• Ad fontem in Sacris Virginum Claustris Talientem .

** Idem argumentum .

*** Ad P. M. Philippum Gatti , Ordin. Divi Augustini , Sacrum
Oratorem in Templo in Spiritus Sancti Neapoli .

E P I G R A M M A XX.

Cur modo dicendi languescere cernimus Artem?
En tibi causa: Quod ars nesciat arte tegi.

*Dic, quis doctus in hoc? dubio procul, Angelus hic est.
 Quis par huic? Famam consale: Nullus, ait.*

E P I G R A M M A XXI.

Si quis scire cupit, quid bello, aut pace gerendum est,
Ut sibi grande decus mente, manuque paret;
*Hic oculos paullum Montalti in Stirpe moratus,
 Gestâ iimitanda magis, quam superanda notet.*

EPI-

* Ad P. Michaelm - Angelum e Rhegio, Capuccinorum famil. secrum Oratorem in Majori Neapolitana Ecclesia.
 ** In vestibulo Historiae Familiae de Montalto ab Auctore conscripta.

36 C A R M I N U M

E P I G R A M M A XXII.

2

HAEC *ingens Arbos ubi confita?* Monte sub alto:
Cum cresceret, quo se proferet? Astra super.

E P I G R A M M A XXIII.**

FAC, *simus sine labe, Parens dulcissima: Quis det.*
Hoc, nisi tu, fecit quam sine labe Deus?

E P I G R A M M A XXIV.***

NON *quod, Virgo, meres; quod possumus, accipe Sertum:*
Cor dantis munus, non leve munus ama,

EPI.

* In Arborem Familiae Montalto.

** Deiparae Immaculatae.

*** Aureo Serto Deipara praecincta.

E P I G R A M M A XXV.

Si privata bonum, si publica vota valerent;
Non foret heu! lacrimis tristitiaeque locus.

Viveret egregius, nuper quem amisimus, Heros
Bervikius, bello maximus, atque domi.

Sed si forte parum nobis sit vivere visus;
Et famâ, & meritis vixerat ille diu.

Sic praeftat vixisse; ut non, quos vivimus, animi;
Sed longam vitam vivere, gesta probent.

EPI-

* Tumulo Ducis Bervikii.

AUGUSTI Cineres, magni pars una superstes
 Bervikii, brevis haec quos tegit urna sinu,
 Ne procul binc migrate; licet suprema voluntas
 Defuncti Herois non ita praecipiat.
 Sic nostrum vulnus minus insanabile; rancio
 Sic jaclura Viri fiet acerba minus:
 Atque Italas quicumque plagas lustraverit bospes,
 Dicet: In hoc Virtus marmore clausa latet.



JURE-

* Ibidem: Adiudicatur ad testamentum, quo jussit, suos cineres Neapolii ad Hispanias traducendos.

JURE CONSULTO INCOMPARABILI
JOSEPHO AURELIO DE JANUARIO,
ADVOCATO NEAPOLITANO
S. P. D.

FRIDERICUS OTTO
M E N C K E N I U S.

J. V. D.



vo nuper absentem me , nec forsan
niſi nomine tibi cognitum donaveraſ; en
redit ad te doctiſſimus liber tuus,
etſi ſorma alia , alioque habitu indu
tus . In quo tametſi nihil mihi eſſe
juris videbatur , quippe tuo , & in
futuras aetates omnes habituro laudum tuarum abun
dantissimam materiam ; postulavit tamen a me par
tim ipsius libri , quo non legiſſe me umquam elegan
tiorem memini , praestantia , partim cognoscendi ejus
desiderium publicum , partim etiam amplificandae fa
mæ tuae , quo ferri me ſentio , honeſtum ſtudium ,
ut ,

** Epifola , Operi preefusa , quod inscribitur , JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO RESPUBLICA JURISCONSULTORUM , deno Li
ppiae excuso an. CICDCCXXXIII. curante Cl. V. Friderico. Ottone
Menckenio.*

M

ut , vel inscio ac per modestiam fortassis renuente te , spe ineundae a te gratiae incertâ , potestatem aliquam exercerem in Rempublicam tuam ; & , velut in sublimi monumento , spectandum Germanis meis admirandumque praeberem partum ingenii tui pulcherrimum . Et videbar mihi ejus rei , non minus pro gloria tua , quam pro commodis civium meorum , susceptae , impetraturus a te veniam hoc promtiorem esse ; quo certius ita futurum intelligis , ut , quae continere se nescit intra unius fines Italiae , jam , ruptis velut carceribus , in remotas dissitasque regiones fama ingenii ac doctrinae tuae exeat , & universam primum Germaniam occupet , deinde recto itinere ad ceteras Europae cultioris gentes transeat . Nam , si recte te puto ex candidissimis moribus gentis tuae , non tu ejus ingenii vir es , cui prae paternis ruribus fordeant exterorum alia omnia ; aut qui turpe ac indecorum putes , ipsis innotescere Germanis nostris ; nec , quos decrevimus tibi , ferre plausus & acclamationes possis . Est ea inde ab aliquo tempore Italiae tuae , florentissimae terrae , nec nunc procul adeo remotae ab antiquo decore fastigioque suo , prae finitimiis multis disjunctisve nationibus laus singularis ac praecipua ; quod , nullâ loci , unde quis ortum duxit , aut quo sedem fortunarum fixit , ratione habita , ut quemque meritis conspicuum illustremque doctrinâ cernitis ; ita amore dignum judicatis , ita in sinu vestro fovetis , ita consiliis opibusque adjuvatis , & tamquam civem aut colonum vestrum praeconiis publicis , & exquisitis laudibus ornatis . Quo fit , ut , cum alto supercilio res nostras reliquarum gentium non paucae fastidiant , hisque stipples

pites ac trunci putemur, per Italiam tuam suus Germano nomini honor constet, gloriāque nostrā ab importunis aliorum obtrectationibus vindicetis: quin dignitatis & honoris vestri publicos nos saepe arbitros ac judices poscatis. Atque haec causa est, cur nos, a moroso illo & intolerabili aliorum fastu alienissimi, cum nec in hoste vituperare virtutem ausi umquam simus; in vos praesertim, optimum nobisque amicissimum genus hominum, oculis animisque convertamur: nec quidquam existimationi vestrae a nobis immineat periculi, sed liberale Musis vestris, tamquam arctissimo cognationis vinculo nobiscum conjunctis, praebeamus hospitium; & in humeris vestris repositam salutem literarum existimemus; felicissimique in reducendo veteris Latii splendore conatus vestros collaudemus publice: nec collaudemus tantum, sed in exemplum etiam, quod imitentur sedulo, proponamus Germanis nostris. Quae cum ita sint, a virtute gentis tuae degenerasse te unicum hoc minus arbitror; quo certius, quam sis ingenio polito, & ad urbanitatem omnem composito, ipse testatur aureus libellus tuus; in quo cum velut pro rostris constitutus judex omnium seculorum, Terrarumque Jureconsultos vocaveris in jus tuum, & de his libere dixeris sententiam; perquam honorifice a te dimissos Germanos nostros: aut, si quos ex his veniam vix dignos judicaveras, hos molli saltē brachio objurgatos, & magis non laudatos, quam vituperatos, sunt, qui existimant. Denique cum ipse carere nos eruditissimo libro tuo nolueris, quin de prelo adhuc sudantem, & vix cognitum tuis, statim commigrare Lipsiam, nostrumque subire tribunal iussis.

ris, quid aliud ex eo colligam, quam invidere te nobis tantae doctrinae tuae usum nolle; cupidissimumque assensus nostri esse, forsan etiam a judicio nostro aliquam famae tuae accessionem exspectare? Sunt haec ita comparata, ut, nisi me prorsus fallat opinio, a te, cive Italo, hoc est, summae viro humanitatis ac prudentiae, facilime impetrare mihi operis jam suscepti possint veniam. Alia supersunt, quae gratiam laudemque mihi non a Germanis tantum, sed ab Eruditis ad unum omnibus, ad quos demum liber iste tuus pervenerit, certissimam promittunt. Rempublicam, non Italorum, non Neapolitanae gentis, sed Jureconsultorum scribis, amplissimam profecto, nec ullis locorum terminis circumscribendam. Non sola Italia aut olim habuit, aut nunc habet Jurisperitos. Pertinet ad complures gentes, maxime ad Germanos, ea gloria, &, si qua in re alia, certe in doctrina legum, aequamus famam vestram. Non ita olim forsan: sed factum est postea, nescio culpane magis, an facto aliquo vestro, ut, quam destituisse vos videbant, Germani occupasse spartam dicerentur. Et, quantum in nobis, eam laudem tuemur ad hunc diem; &, si finitimis Belgis sanguini Germano associemur, reviviscere inter nos aetatem Justinianeam putas. Non haec praepostero quodam patriae amore, sed veri scribo: &, si receptionum magis, quam veterum Jureconsultorum Rempublicam scripsisses, nominandi tibi primo loco Heroes Germani fuissent. Jam pertinere haec ad eos omnium maxime credere, qui ad dignitatem veterum quam proxime accedunt. At rabulis haec forsan & causidicorum faeci a

ci a te scripta dicis ? Neque vero minus foecundus horum in Germania proventus est , nec eo nomine vobis palmam cedimus . Vix numerum eorum in eas; adeo Curiae omnes , adeo fora & senacula omnia insano horum latronum murmure personant . Quos ubi tu de jure loquentes audias , ingemisces Arti tuae , crudelissime tractatae ; quin pulsam finibus nostris Justitiam , ignavum Jurisprudentiae nomen , putabis . Et multum falleris , si ab his nobilissimi laboris tui gratiam exspectas . Diris te illi devovebunt cum inutili tua Jurisprudentia ; & manu ostentantes panem ereptum clientulis , ridebunt esurientem Rempublicam tuam . Vaeh bonis literis , vaeh Sacrae Themidi , vaeh nobis omnibus , qui Deam hanc reverenter colimus , si furor iste pestilentissimorum hominum per scholas nostras , aut per fora principatum olim obtineat ; & ab horum unice arbitrio jus fasque nostrum pendeat . Sed ita nos fata nostra amant , ut robur aliquod supersit armis nostris , quo debellari fortiter haec monstra possint , & radicitus extirpari haec quantumvis inveterata barbaries . Quod , et si laboris summi , non desperatum tamen opus est ; & purgatum hoc Augiae stabulum , ita certissime auguror , aetas postera gaudebit . Vides , quam nihil dissimulem ; sed poscit id honor gentis meae . Plura accipe , quae tu ipse poscis . Invidemus Italiæ tuae civem talem , quem unum opponere jam turmis Germanorum potest . Habet illa , cur auspicato te natum sidere putet , post tot seculorum tenebras . Habet jam , cur in spem magnam fese erigat ; & brevi redditura per te speret Alciatorum , Averanorumque tempora . Qui si pergas ita propicias tibi

tibi Musas habere , & incumbere in gloriam gentis tuae , & Romanae Jurisprudentiae restituere nitorem pristinum ; non erit postea , cur prae Italos tuos efferrant se multum Germani nostri . Sane , quae inter gentem utramque erit , mire provehet Artem nostram , & in pudorem conjiciet ignavum vulgus , aemulatio . Et tamen tenerrime te amo , & crucior desiderio videndi tui , & in os laudandi . Malim ego unam Rempublicam tuam , quam Bartolos sexcentos , legere : in qua si tamquam in speculo intueri licet ingenium tuum , jam , quem conferam , quem anteponam tibi , non invenio . Tui similes vix aetas praefens adhuc multos protulit ; certe inter paucissimos , qui tanto operi sufficerent , unus tu fuisti , qui calcatam nulli adires viam tandem . Est hic torpor seculi , & assuetudo turpis ineptiarum . Dignus tu , qui in Republica Jureconsultorum Dictator , aut supremus Judex constituare . Una haec nostrorum hominum (& quidni tuorum ?) vox est ; & , si in suffragia eatur , neminem habebis non plaudentem tibi . Adeo nihil est in doctissimo libello tuo , quod non placeat mirifice , & supra vulgarem sensum sit longissime . Rara haec Scriptoris felicitas , probari ab omnibus , & in omnium amorem atque gratiam venire ; hac praesertim temestate , qua nemo est , qui non suas magis , quam alienas , laudes consecetur ; & laboris nostri frustra ab Eruditis merces expectatur . Noveras scilicet , si unum id ageres , ut doceres lectores tuos , & severa fronte ad interpretanda Jura te converteres , habiturum te ex gente nostra , si non superiores , certe pares aliquos . Itaque callido artificio , urbanitate gravitatem temperasti ,

raſti ; & id , quod ſuave ac jucundum eſt , in horrida dumeta legum intuliſti ; ut quae fuerat rugoſa nuper , & austero vultu inceſſerat , amabilis per te facta ſit & venusta Jurisprudentia . Quem enim non argumenti statim , in quo verſaris , partim novitas alliciat , partim elegantia delectet ? Aut quis tam moroſus eſt noſtrum , qui incognitam huc uſque , & tot pulcherrima ſpectacula praebentem , Rempubli-cam luſtrare , aut confabulantibus tam docte auditorem ſe dare omnis aevi Jureconsuſtis nolit ? Adhaec , in ipſa Reipublicae ſacraria & intimos receſſus intro-miſſius , quis non maſteſtatem & ſplendorem loci ad-miretur , & delatum ſe in ipoſos hortos Venerum ; aut longius progreſſus , conſtitutum in medio confor-tio Deorum putet , nec adſciſci hic in ciuitatem cupiat ? Quis vidiffe ſe umquam pulchrius quid ele-gantiffimis illis , artificiоſiſſimeque pictis , & ad vi-vum expreſſis prorsus veterum Jureconsuſtorum ima-ginibus , & exquisitiſ earum coloribus , dicat ; nec in hiſ omnibus dexterimi manu artificis agnoſcat ? Denique , quaem molliſſimi cantus illi , haud extra hanc Rempubli-cam auditi umquam , nec niſi Ovi-dianis citharis accomodati , in quibus omnem inge-nii tui vim expertus , omne laudum & paeconio-rum ſuperaffe genus videris , non ita demulceant dul-cedine ac ſuavitate ſua , non ita extra ſe rapiant to-tum ; ut pedem referre ex amoeniffima hac regione neſciat ; & , quaſi alligatus hiſ deliciis , aeternum ſibi in Jureconsuſtorum Republica domicilium cooptet ? Ego ſane cum per alia negocia per voluſare magis , quam per legere , libros novos , ſaepiſſime nec dignos lectione , ſoleam ; cum priuum ex Italia ad me ve-nit

nit **Respublica tua** ; ita statim affixus ei haefi , ita manibus meis tenui ; ut in legenda ea dies noctesque integras consumserim , & non tam legere , quam devorare , librum visus sim . Postea ad ejus lectionem vice plus una redii ; nec dies abiit , quo non amoenitate loci invitatus , jucundissimum in **Respublica tua** secessum habuerim . Et , quoties me contuli in haec vireta , toties exosculatus sum absentem te ; cuius quippe factum humanitate sit , ut , quae reclusa civium meorum nulli esset , uni mihi ex omnibus huc via pateret . Quem nuper privatum mihi , nunc publicum feci ejus voluptatis usum : & quod partim vehementer exposcebat amor patriae , partim tui ipse , honore hoc dignissimus , jubebas , id quidem a Menckenio , in tuis futuro semper , jam vides praestitum . Age , dignissimos jam tanti operis , tamque excellentis doctrinae tuae fructus collige ; & e longinquo acclamantes Musis tuis , & certantes inter se plausibus , Germanos audi . Habet & nostra suffragatio ad nominis tui immortalitatem pondus aliquod : nec , quae scribimus jam in laudes tuas , ex merito tuo scripta , sera dubitabit posteritas . Tu vero , quod ingressus es nuper , iter nobile honorum atque gloriae prosequere ; idque tibi datum negocii puta , ut , quae maximum in te firmamentum habet , porro nequissimorum hominum sordibus purgata , magis in dies per te floreat **Respublica Jureconsultorum** . Vale , praestantissime Vir , resque tuas feliciter in posterum , & ex Orbis eruditи voto , age . Dabam Lipsiae Cal. vi. Nov. An. CICDCCXXXIII.

ELE-

E L E G I A.

NO STRA haec, Menkeni, tibi reddit Epistola grates,
 Reddere quas praesens fuisus ipse velim;
 Inlyte Menkeni, nostri lux splendida secti,
 Nate instaurandis Artibus ingenuis.
 Sed partus, si sim reddendis gratibus impar:
 Qui multum debet, solvit & ille parum:
 Maxima sunt odio beneficia obnoxia, quando
 Victus quis nequeat par tribuisse pari.
 Haec est conditio nostri miseranda pudoris,
 Quod saepe ingrati sustinet ille notam.
 Hoc tamen, hoc ipsum vultu moerente fateri,
 Efficit, ut videar demeruisse minus:
 Culpatur nolens; non est culpabilis impos:
 Hic venia dignus; eriminis ille reus.
 Et sane, quo non teneor tibi nomine! quantum
 Conaris famae consuluisse meae!
 Vix Jurisconsultorum Respublica nostra
 Prodiit, & patrios illa reliquit agros;
 Italianam egressa est; medias pertransiit Alpes;
 Venit & ad sedes, Lipsia docta, tuas:
 Ibat inops meriti, timida ac pudibunda, patronos
 Quaerebat, fato non bene tuta suo:
Defi-

Cl. V. Friderico Ottoni Menckenio Auctor rescribit.

N

Bayerische
 Staatsbibliothek
 München

*Deficere hos metuit, qui sunt laudare parati;
 Non defecturos, qui laniare student:
 Conscia, quo vitio plures, de more, laborent;
 Qui, spretis aliis, se superesse putant.
 Sed tales inter dum pergeret acta timores,
 Pene insperanti dulce levamen adebat:
 Te felix reperit: tu humanius excipis illam;
 Illam nec tristem plus latitare sinis.
 Et, quod non meruit, curas, ut splendeat inter
 Germanos, vestris illa recusa typis.
 Multum ibi praefaris tecum; & sermone decora
 Praeconem ostendis nominis esse mei.
 Ingenium extollis: caperis nositate; poësi
 Alliceris: gaudes judicioque gravi.
 Nostraque diligitur nimium Respublica; & illuc
 Qui veniunt, sacrum credis adire locum;
 Inque hortos Venerum, arque ipsa in consortia Divum
 Admitti; censes, deliciisque frui.
 Atque horum, per quos Legum sapientia culta est,
 Colloquias aures dulce beare suas.
 Dein dulces aperis non fido pectore sensus;
 Queis mea nescio quo nectare corda trahis.
 Me dicas (dictum quam suave!) tenerime amare:
 O utinam hoc vere dignus amore forem:
 Meque videre cupis, propiusque agnoscere vultus;
 Et laudes nostro fundere in ore tuas.
 Cumque novos libros potius percurrier a te,
 Affirmes, quam cum sedulitate legi;
 Seu quia multoties sit lectio inutilis horum;
 Seu quia sistere in his te graviora vetent;
 Non ita de nostro: cum vix acceperis illum,
 Inquis, mirifice te rapuisse statim:*

Hec.

Haerens fixus in hoc , non tam legisse fateris ;
Quam desiderio cuncta vorasse tuo .
Non es diffisus te continuare legendo
Perpetuas noctes , perpetuosque dies.
Quodque semel lectum est , relegis bis terque lubenter;
Nec fugit ulla dies , quo nihil ipse legas .
Ab ! nimium abriperis quodam ferventius oestro :
Debitus haud certe est hic mihi tantus bonos.
In me quae spectas , ea te feliciter ornant:
Quae tua sunt mentis lumina , nostra facis .
Atque tuis radiis videor clarescere ; dives
Credor , divitiis non tamen ipse meis :
Non secus ac nubes adverso sole coruscans ,
Luce carens , solis luce superba , micat .
Tu colere , ac valide defendere Palladis artes,
Et contra ignaros , & rude vulgus amas:
Totque Opera egregia , & fati vultura furorem ,
Longâ posse frui posteritate dabunt:
Quaeque tibi faciles veniunt ad plebra Camoenae ,
Intexunt sacris laurea serta comis .
Nostraque praesertim Jurisprudentia debet
Virtuti , quod sit splendida facta , tuae .
Tu sordes aufers , quibus obscurata jacebat ,
Contendens decori restituisse suo :
Et quicquid scriptum est , purgato examine librans ,
Docte , quae bona sunt , quae vitiosa , vides :
Atque ipsos (Patriae neglecto prorsus amore)
Germanos , si qui non valuere , notas:
Deposito livore , Italos tot honoribus auges ,
Quos commendandos Juris in Arte putas .
In te judicium nulla re fletitur : In te
Est Veri potior , quam Regionis amor .

Quam rarum exemplum ! sola ratione moveri;
Dumtaxat meritum pendere lance pari.
Hinc non solus ego, verum gens nostra superbit,
Quas late cumulas, laudibus innumeris.
Nec grates a me tantum, sed rectius omni
Praefstat ab Italia, quae celebratur, agi.
Atque tibi fas est monumentum extollere : nostris
Menckenitam fastis inseruisse juvat.
Ut quae nunc per te quaesita est gloria nobis,
Integra in Autorem sit redditura suum.
Haec scripsi; & doleo, quod non, ut scribere vellem,
Prorsus te digno sint ea scripta stilo.
Nec modo scripsisse, nisi te laessisse viderer;
Et saltem haec, quamvis sint minus apta, darem.
Passus sum, nec enim mea forsan opinio fallit,
Deficere ingenio, non tamen officio.
Perge ergo, ut bene coepisti ; tua gloria crescat
In majus, meritis semper adiuncta novis.
Quod gestum est, aliis est conjectura gerendis;
Par tibi, quod gestum est, quodque geretur, erit.
At quia laudari dignis laus ipsa molesta est;
In te laudando non moror ipse diu.
Vive tibi, ac potius votis communibus: & sis,
Ut memor ipse tui, sic memor ipse mei:
Et quia nos tanto coelo disjungimur ; ambo
Saltem conjuncti simus amore: Vale.

JOSE

JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO,
ADVOCATI NEAPOLITANI
RESPUBLICA JURISCONSULTORUM.

Neapoli , typis Felicis Muscae , CCCCCXXXI . 4.

*Alph. 2. pl. 7. **



JURISPRUDENTIAE Civilis , & JCtorum Historia tantum nostra aetate consecuta est plausum ; ut illi ne videantur quidem inter JCtos locum sibi vindicare posse , qui in ea excolenda data operâ non fuerunt occupati . Non unum tamen impedimentum est , quo minus omnes , qui inter Jurisprudentiae cultores suum profitentur nomen , è , qua par est , industria litterariam Juris persequantur Historiam . Neque dubium , quin multi studii hujus , quod criticis , quae vocantur , care nequit Observationibus , severitate ab ejus cultu deterreantur . Quod quidem cum ita fese habeat , non possumus non doctissimo Viro juveni , Josepho Aurelio de Januario , vehementer plaudere , qui in

Re-

** Ex Novis Actis Eruditorum An. CCCCCXXXIV. Lipsiae publicatis
Judicium , quod tentat pag. 21. ad 27. DE REPUBLICA JURISCONSUL-
TORUM.*

Republica sua Jurisconsultorum, cuius novam editionem, amplissimā ad Cl. Auctorem Epistolā ornatam, nuper demum Lipsiae *Fridericus Otto Menckennius*, Collega noster, in gratiam civium suorum curavit; id egit sedulo, ut methodo, quae ob suavitatem summam lectionis non potest non redimere fastidium, Romanae Jurisprudentiae illuminet Historiam. Instituto enim suo tam satisfecit egregie, ut dudum e litteraria Juris Historia cognitis novitatē, novis dignitatē, obsoletis nitore, obscuris lumen, fastiditis gratiam mira suavitate atque facilitate conciliarit. Sibi fингit Cl. Auctor in Aegaeo longe post Cycladas Insulam, ubi Rempublicam optime constitutam habent vitā functi Jurisconsulti, quibus singulari fato etiam post obitum datum est sapere. Ad eam iter facientes *J. Genutium*, *T. Numicium*, *L. Pinarium*, & *C. Nautium*, sīstit. Qui quidem, sicut eo consilio iter ingrediuntur, ut pristinam Jurisprudentiae Romanae conditionem sibi cognitam reddant atque perspectam; sic etiam in itinere de rebus huc facientibus sermones jucundos miscent. In Republica vero JCtorum, quae notatu digna geruntur, observant; & ipsos JCtos convenient, cupidi eorum de JCtorum & Jurisprudentiae ratione judicium explorandi. Cum hac methodo Doctiss. Auctor Observations suas, litterariam Juris Historiam illustrantes, recensēat; nemo non intelligit, numquam illi defuisse occasionem, de rebus utilissimis commode differendi, atque efficiendi, ut, quae non sine cūra scripsit, non sine voluptate legantur. Utilissimas etiam Adnotationes suas Carminibus distinxit, quae uti nonnumquam argumenti se commendant dignitate,

te , sic tantam praeferunt facilitatem atque elegantiam , ut doctissimus *de Januario* ipsum referre *Catullum* non immerito dicatur . Difficile admodum , nec instituto nostro esset conveniens , singulas commemorare *Observationes* , quae huic *Commentario* decus conciliant atque ornamentum . Aliquot igitur exempli loco tantum commemorabimus , ad ipsius elegansissimi Operis lectionem eos , qui haec nostra legunt ; invitaturi . In itinere , uti fingere placet *Cl. de Januario* , *Genutius* cum sociis suis *M. Minutium* convenit , atque cum eodem de naevis JCtorum disserit . *Minutius* , *Scriptorum* , inquit , *Juris virtus* tria sunt , aut quod minute nimis ac inutiliter ; aut quod plus aequo subtiliter ac obscure ; aut denique quod barbare ac involute res pertrahent . Hoc ipsum *Minutii* judicium occasionem aperit *Cl.* Auctori amplissimam , de hisce Jurisprudentiae Romanae , ejusque Interpretum naevis egregias in medium proferendi observationes . Quemadmodum autem *Cl.* Auctor illis se profitetur infensissimum , qui , neglecto historiarum , & humaniorum litterarum studio , summos se profitentur JCtos ; sic ex instituto illos JCtorum adnotavit errores , qui ex harum litterarum ignorantia duxere originem . Ne exemplum desit ad p. 104. provocamus : Ibi , Bartolus , inquit , parum abest , quin juret , a Tiberio Imperatore Tiberim fluvium appellatum : Castrensis , nullo perturbatus putidissimi mendacii metu , ait , ab Antonio Triumviro occisum Papinianum : Odofredus est prae caeteris suavissimus , testaturne , eadem navi Aeneam & Romulum in Italiam adventasse : Accursius , felicissimus temporum conciliator , ridicule monet , Ulpiani aetate Christum natum

natum adhuc non fuisse ; vitamque Justinianum ante Christum vixisse ; nec alia de causa usum non esse aera Christiana : Jason acutiore invento superbus , quadam vocis affinitate captus , scribit a Numa Pomplio dictum esse Nummum . Ex quo Doctiss. Auëtor usque ad p. 141. ea persecutus est , quae in itinere ad Rempublicam JCtorum notatu digna evenere ; ad ipsam Rempublicam JCtorum describendam se confert . Ut constet , quam sibi fingat Cl. de Januario () Rempublicam ; ipsa ejus verba proferemus , quibus summatim ejus rationem indicat . Populum , inquit , omnem divisum novimus in Senatorium , Equestrem , Plebejumque Ordinem . Senatoria dignitate Primores Reipublicae fruebantur , veteres illi egregii Jurisperiti , a Sex. Papirio ad Modestinum usque ; cuius aetate retro collapsa jam Jurisperitiam , obmutescere JCtorum oracula coepere . Inter Equites numerabantur , qui post extinctam JCtorum successionem nudam publice docendi ac profitendi jus provinciam Romae , Constantinopoli , ac Beryti suscepere : Hisque adjungebantur , qui ab Andrea Alciato ad nostram usque tempestatem , ingenio & cultu bonarum Artium , interpretandi munus non sine elegantia ac lepore obierunt . Plebs denique Accursium , Bartolum , & qui eos sequuti sunt , concludebat : sed bi honestiori loco habiti , neque observantia Optimatum , neque honore Magistratus defraudati sunt , multis tamen aegre id ferentibus . Non ita multo post refert , Domitium Ulpianum , & Aemilium Pupinianum tum in JCtorum Rempubli-*

* Pag. 177.

publica Consules fuisse , Jacobum Cujacium Praetorem , Censorem e patriciis *M. Porcium Catonem* , et plebejis *Martinum Fani* , & Senatus Principem *Servium Sulpitium* . Una illos enumerat , qui vel cum *Cujacio Praetoris* , vel cum *Martino Fani* Censoris dignitatem ambierunt . Atque hoc modo occasionem sibi aperit de ipso *Duarenio* , *Donello* , *Hotomano* , *Franc. Balduino* , *Jobanne Roberto Aurelianensi* , *Inerio* , *Pepone* , *Jobanne Imola* , *Bartolo* , aliisque JCtis , opinionibusque cuique eorum singularibus , observationes suas proferendi in medium . Quemadmodum vero Doctiss. Auctor hanc sibi legem scripsit , ut methodi varietate Scripto suo conciliaret nitorem ; sic religioni sibi non dicit , narrationis seriem nonnumquam interrumpere . Numquam illi hoc modo deest occasio de diversis differendi argumentis . Quodsi enim alia desit , aliquem ex iter facientibus de hac , vel illa materia JCtos in Republica sua disputantes audiisse perhibet . Ita v. g. a p. 156. ad p. 189. aliquot JCtos de Philosophiae in Jurisprudentia usu confabulantes sistit : Et *Aristotelici* , & *Stoici* , & *Cartesiani* Philosophi hic Cl. Auctori dicendi praebent ansam . De veterum JCtorum Philosophia etiam verba facit : atque uti multis eorum egregiam Philosophiae peritiam utique tribuendam esse concedit ; sic *Zafium* , *Alciatum* , *Ficardum* , & alios JCtos ridicet , qui ineptis plane moti argumentis , veterum JCtorum in Philosophia celebrant peritiam . Eadem occasione *Everardum Ottonem* reprehendit , quem observatorem splendide minutum morum & studiorum *Papiniani* appellat . Is enim ex leg. 64. de *Evitt.* eximiam *Papiniam* Matheos scientiam probare co-

O

natus

natus est . P. 254. incipit de JCtis plagiariis doctissimas proferre Adnotationes . Commemorat *Franciscum Duarenum* , Gallum , Censoribus auctorem fuisse , ut in JCtos plagiarios inquirerent , quo e Republica exterminarentur , veterumque JCtorum famae atque nominis celebritati consuleretur . Non enim consentaneum esse , ut in JCtorum Republica , veterum JCtorum inventis recentiores superbiant : Ipsam deinceps a Censoribus institutam recenset inquisitionem ; atque hac occasione multis adnotatis Literariam de Plagiariis Historiam illuminat . Ita v. g. observat *Baldum Jacobi Paliarensis* cogitata , sua fecisse : *Bartolum Francisci Tigrini* , Pilani , superbire Adnotationibus : *Alexandrum Johannis Imolae* expilasse Scripta : *Janum Vincentium Gravina*m omnem suam famam *Jacobi Gothofredi* debere eruditioni : *Vinnium* , celebrem Institutionum interpretem , pleraque *Georgi Tuningii* Scriptis referre accepta ; neque ipsum *Cujacium* ab omni furto litterario posse absolvvi . Tanta fuit , ut Cl. Auctor tradit , in hujus controvrsiae disquisitione veterum JCtorum auctoritas , ut post multas disputationes plerique consenserint , Plagiariis in JCtorum Republica locum non esse concedendum . Id autem dum ageretur , ut vi hujus decreti ex hac Republica ejicerentur JCti Plagiarii , repertum est , ipsum , *Duarenus* praecipuum hujus decreti auctorem , ex *Alberici Gentilis* Commentariis numero multas transcripsisse observationes . Furto igitur suo litterario detecto , ipse *Duarenus* animum mutavit ; atque id omni egit industria , ut Edictum de ejiciendis e JCtorum Republica Plagiariis nullo loco haberetur . Postquam de plagiariis JCtis
Cl.

Cl. Auctor differuit de Ludis Secularibus, in Republica JCtorum institutis, verba facit, qui ipsi ansam suppeditant, de eximio Poeseos in Jurisprudentia usū differendi. (*) Hoc ipsum argumentum singulari industria persequitur: atque, ut ipse merito atque optimo jure inter Poetas JCtos locum sibi vindicat; sic Jurisprudentiae peritiam cum Poetica facultate hoc ipso in Commentario egregie conjunxit. Vide licet octo plagulis veterem Romanorum *Nomotaxias* tam eleganter versibus expressit; ut non possit non ab his ipsis cum voluptate legi, qui Jurisprudentiae Civilis suam non consecrarunt operam. Ubi elegantissimum de Juribus Reipublicae Romanae Poema definit, ibi incipit disputationis de *Tribonianus* fama in Republica JCtorum institutae narratio. Summa hujus disputationis haec est: *Servius Sulpicius Tribonianum* solenni coram Senatu habita Oratione accusat, quod in veterum JCtorum sacros cineres pioque manes improbe saevierit; atque una cum illorum monumentis nomen famamque eorum nefarie extinxerit. Plerique Jcti consentiunt, *Tribonianum* e Republica JCtorum esse ejiciendum: Sed *Cynus*, *Pistoriensis*, *Tribunus Plebis* obstat huic sententiae, & *Tribonianum* defendit. Ad populum igitur res delata est, cuius erat, vel Tribuni intercessionem, vel Senatus auctoritatem comprobare. Non hic exponitur, quis victor e certamine discesserit, *Tribonianus*, an ingens manus hostium? Cum enim nondum finita esset haec controversia, *Genutius* cum itine-

(*) Pag. 285.

Itineris sociis e Republica JCtorum abiit ; atque in patriam reversus est . Ex iis , quae modo protulimus , de ratione hujus , quem pre manibus habemus , Commentarii summatim minimum poterit constare . Plura igitur de eodem verba non facimus . Cum autem elegantissimi versus , huic Commentario hinc inde inserti , sumnum universo Operi concilient ornatum ; temperare nobis non possumus , quin aliquot versus speciminis loco hic exhibeamus . Illos autem exhibemus , qui primum se nobis obtulerunt ; & quibus Juris studiosorum , qui majorem cultus corporis , quam eruditionis rationem habent , characterem scite expressit ac venuste : Ita vero se habent (*)

NUNC venio ad quosdam Juvenes ; hi ostendere sese
Pulchros , & plenos nobilitatis amant .
Hos ne tange ; caue , multo sine honore salutes ;
Quodve roges , hamili non sine voce roga .
Picta velat minio illorum resplendet imago ;
Atque viri formae plus mutiebris habent .
Omne lorant studium , quo belle incedere possint ;
Brachia , crura , pedes , os , caput , arte movent .
Albescit niveo mendax coma pulvere sparsa :
Emicat alterno barba recisa die .
Vestis it ex bumeris formas imitata recentes ,
Sive , o Galle , tuas , sive , Britanne , tuas .
Pileus haud geritur ; ni longo advectus ab Orbe ,
Et mi forte novo more revinctus eat .
Quae-

(*) Pag. 31.

Quaeruntur missa a Batavis subtegmina lini:
 Gemmato dğitos annulus orbe premit.
 Et crepidae est sua cura, manu quae sua sagaci,
 Ne quae pelle super ruga sit ulla, vetat.
 Machina, distingens animatis motibus horas,
 Praesto est, ut, quotanam lapsa sit hora, sciant.
 Ne desit nasi contriti pulveris usus,
 Hunc ex argento capsula parva gerit;
 Capsula, quae nimio sit redditum pumice levis,
 Cui ductum ex omni sit bene parte latus;
 Vel testudineo quae sit de cortice facta,
 Et micet argenti desuper aucta notis.
 Ab misera! ab! quanto pascis te errore, Juventus:
 Respuit bas veneres blanditiasque Forum.
 Aspice Majorum vestigia? Dic, ubi luxus?
 Dic, ubi femineus tantus in ore lepos?
 Ludimus? Anne Foro tractamus seria? Nilne
 Discrepat a scenis Curia, Jura jocis?
 Sed quid ego? Mala difficile est evellere, quando
 Cooperunt speciem jam retinere boni.

ELE-

E L E G I A .

EGREGII doctrique Viri, qui scribitis Acta
 Horum, qui studiis ingenioque valent;
 Ec famam Auctorum mensurâ penditis aequâ,
 Censores Meriti, quod sibi quisque parat.
 Nosco, quot fuse nobis cumuletis honores;
 Et quanti nostrum vos faciatis Opus;
 Quo plausu excurrat Respublica nostra per Orbem,
 Judicio vestro nobilitata nimis:
 Ut quaesita avide, ut laudata superbiat; utque
 Laetetur fato se superesse suo.
 Haud erat haec merces speranda laboribus: haud haec
 Debita futilibus gloria rebus erat.
 Sat fuerat, misere si non jacuisset in umbra;
 Nec staret tacito pulverulenta sicu:
 Sat fuerat, si quis nostris ignosceret ausis;
 Et facile mendis parceret ille meis.
 Nunc desideria major fortuna paratur,
 Sub vestra quovis tempore tuta fide.
 Nostrum venturo nomen memorabitur aevo;
 Atque ultra patrios per volitabit agros.
 Haec vestris certe referenda est gratia Scriptis,
 Quorum ope, post mortem non moriturus ero;
 Nec

* Ad Clarissimos Viros, qui Acta Eruditorum Lipsiae conscribuntur,
 Auctoris Epistola.

Nec nostros cineres invisere negliget hospes;
Nec maneam Elysia vilior umbra domo.
O mibi sufficerent tales in pectore vires,
Ut possem grates reddere laude pari:
Quam sese ingenium diffunderet ubere venâ,
Ne foret obsequii, quale mereti, inops.
Sed spectate animum, si vox me deficit: ille
Quos condit sensus, haec aperire nequit.
Velle & posse simul raro conjungitur: ergo
Si non posse datur, sit voluisse satis.

JOSE-

J O S E P H O A U R E L I O
D E J A N U A R I O
J. C. C L A R I S S I M O
LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS
S. P. D.



ERO accepi , acceptum serius signifi-
 co librum tuum de Republica Ju-
 risconsultorum , diu exoptatum , atque
 avidissime a me lectum . Quod me
 illo donatum volueris , magnificentiam
 tuam miratus sum : nihil enim ege-
 ram , quo tua erga me beneficia al-
 licerem . Uberiores propterea gratias ago pro hujus-
 modi dono ; quo nihil gratius contingere mihi po-
 terat : Quae vero fuerit mea de tuo libro sententia ,
 paucis accipe . Ingens tua laus est , tanta eruditione
 argumentum tuum exornasse , neque illa vulgari ,
 aut Historiam tantummodo Jurisprudentiae complexa ;
 sed quae in amplissimos tum Graecorum , tum La-
 tinorum ritus excurrit , & Scriptorum optima habet .
 Ad haec , precium operis mirifice augent judicia tua
 aeque

* In hac Epistola Cl. V. Ludovicus Antonius Muratorius judicium
 sive de REPUBLICA JURISCONSULTORUM .

aque de vetustis , ac de recentioribus Jurisconsultis ,
 quae hominem produnt jamdudum in Jurisprudentiae penetralia ingressum . Attamen , quod super
 omnia me in libro hoc legendo oblectatione mira af-
 fecit , stilus ille tuus fuit , quam Latinus ! quam ele-
 gans ! Bone Deus ! Videbar mihi legere Plautum ,
 aut Terentium soluta oratione loquentes : & siquan-
 do in carmina erumpelas , Catullianam , aut Pro-
 pertianam sentire mihi videbar elegantiam . Nihilo
 tamen secius unum superest , quod me prae ceteris
 in stuporem conjecit ; nempe audere te tanta potuisse
 ea aetate , qua reliqui scire incipiunt . Evidem
 Neapolitana ingenia maximi semper feci , a natura
 videlicet ad grandia nata ; & quibus fraeno potius ,
 quam calcaribus sit opus . Tu sane , quid ea possint ,
 aperuisti . Proinde tibi summopere gratulor ; & si
 quidem hortamentis indiges , auctor tibi sum , ut jam
 exploratas ingenii tui vires ad alia argumenta trans-
 feras ; quibus & nomini tuo major gloria , & Rei-
 publicae litterariae Italorum novum decus accedat .
 Mihi sane , siquando de Jurisprudentiae defectibus
 agendum erit , non excidet elegantissimi Operis tui
 mentionem facere , & Auctoris meritum commenda-
 re : quippe hanc provinciam meditor , & si vita su-
 peterit , tentabo . Me felicem , si tecum coram lo-
 qui , teque in ea adeo versatum consulere liceret !
 Sed quando tantum coelum nos dividit ; rogatum
 te saltem velim , ut me tui admiratorem in tuorum
 quoque Amicorum coetum pro tua humanitate re-
 feras : Vale .

P

ELE.

E L E G I A *

QUOD legis, & laudas nostrum, Ludovice, libellum,
 Summus amor tuus hic, sors quoq. summa mea est:
 Alter nil minait decoris tibi; sed mihi multum
 Altera, quo possim lactior esse, parit:
 Et secum placide pugnant, & suaviter obstant
 Plausus cum nostra debilitate tui.
 Hoc ego non merui, cui dos pauperrima mentis,
 Et cai doctrinæ suppetit arcta penus:
 Hoc tu non debes, stadiis qui grandibus addis
 Ingenium, & famâ splendidiore nites:
 Quodque magis miror; solidâ, non laude fugaci,
 Hasce leves nugas tollis ad astra meas.
 Cum tibi mos non sit, quem laudas fallere; dicam,
 Quod tuus erga me, te modo fallat amor;
 Purus amor, non ore tenus, sed pectore ab imo
 Natus, adulandi suspicione carens.
 Nosco, quod hac facili Sapientes inde gaudent:
 Quippe Opera alterius, quam sua, pluris babent.
 Ta mibi doctrinæ fontes, ta mentis acumen,
 Rerum delectum, judiciumque probas:
 Amplos Graecorum ritus, ritusque Latinos,
 Scriptorunque, inquis, me meliora sequi:

Ob

* Cl. V. Ludovico Antonio Muratorio Author respondet.

Ob linguae cultum venereisque, Terentius alter,
 Judice te, videor, Plautus & alter ego;
 Et videor, te teste, Propertius, atque Catullus;
 Dum metro adstrictos dat mea Musa sonos.
 Tantaque completi primis juvenilibus annis,
 Dum reliqui incipiunt, me potuisse stupes:
 Tum spondes, de me dicturum plurima, quando
 Perficies Juris, quod meditaris, Opus;
 Hic ubi defectus tantae monstraveris Artis,
 Vitet ut incolumis dira pericla Themis.
 His tu me velles sociare laboribus; & me
 Consulere, ac mecum fundere colloquia.
 Ab! praeter meritum nostra in paeonia ferves;
 Et famae nostrae satque superque faves.
 Nunc ego non reddam grates, quas ipse repellis;
 Queis ego reddendis non satis esse queam.
 Hortor dumtaxat, summis & viribus hortor,
 Hoc ne Juris Opus deseruisse volis:
 Prosequere, atque unus par es, nulloque sodalis
 Auxilio, quo sis magna daturus, eges;
 Atque meo certe multo minus; omnibus expers
 Cum sim luminibus, jam tibi sorte datis.
 Sic plenis fiet testatum plausibus Orbi,
 Hanc quoque materiem non latuisse tibi:
 Totque argumentis, queis tu celebraris ubique,
 Hoc addes reliquis nobilitate pari:
 Ut faustis avibus videaris ad omnia natus;
 Nec pro communi dignus obire bono.
 Ergo vive diu; ne quae, te fospite, florent
 Artes ingenuae, te moriente, cadant.
 Non erit Italiae venturo gloria seculo
 Egregie scriptis interitura tuis:

Quin

*Quin decus huic ingens, quod barbara systulis aetar,
Fenore tu postbac uberiore dabis:
Ut nequeant feri damnum lugere nepotes.
Quod nostri, adversa sorte, tulere paeres.*

F I N I S.

AD CL. V. ELEGANTEM POETAM, ET IN PHILOSOPHIA
I. ΠΕΝΤΑΘΛΟΝ

JOSEPHUM AURELIUM DE JANUARIO

FRANCISCI GALLUPPI J. C. ET ADVOCATI NEAPOLITANI,
URBIS AD TROPAEA PATRITII

EPIGRAMMATA.

I.

TE generum, Vates, sibi vult emere omnibus undis
Hippocrenaeis aurea Mnemosyne.
Teque virum, cui fata favent, dum sifit Athenas,
Credite, dotales, dia & Minerva petit.
Duxeris hanc; referes redivivum mente Platonem;
Si 3 Musam; Latio carmine Phoebus eris.

Q

Ab

1 ΠΕΝΤΑΘΛΟΝ) Sic dixere Democritum Abderitam. Laërtius lib. IX, segm. XXXVII: καὶ ἦ δὲ αἱδησάς ἐι φιλοσοφίῃ τίτλος. καὶ γὰρ φυσικά (ex Suida in τίτλος supplet Casaubonus, πόντο γέρ τε φυσ.). καὶ τοὶ ήδηκα, αἷδε καὶ τὸ μαθηματικά, καὶ τοὺς ἐγκλίους λόγους, καὶ τοὶ τεχνῶν τάσσεις ὅχι εμπειρίας. Et erat revera in Philosophia quinque certaminum peritus. Callebat enim Physica, Ethica, Mathematica, & disciplinas liberales, omniumque artium peritus erat.

2 Minerva) Nuptiae Minervae non sunt insolentes. M. Annaeus Seneca in Suasoria I, pag. V, & VI editionis Elsevir. CIO IOC LXXII: Nam cum Antonius vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi juberet, habitu quoque & comitatu Liberum imitaretur Athenienses dixerunt despondere ipsos in matrimonium Minervam suam, & rogarerunt ut duceret. Ac Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta.

3 Musam) Nec Musae dedignantur maritos. Oeagrus enim ex Cal-

II.

*Ah ne te capiant Actaeae dona Minervae:
 Parthenope quaerit te dea nostra virum.
 Haec tibi dotalem offert Craterem, atque repostas
 Euboici gazas ambitiosa maris.
 Forte Agunippaeas petis undas? en tibi dulcis
 Sebethus: Parnassum? En tibi Pausilypus.*

III.

*Tercentum potuere viri, quis crederet? 2 arma
 Barbara in Oetaeis spernere Thermopylis.
 Unus homo Latiam Mysis dum restituvis rem,
 Ipse potes cunctam vincere barbariem.*

IN-

Calliope suscepit Orpheum. Apollonius Rhodius Argonauticorum lib. I, v. XXIII, XXIV, XXV:

Πρῶτην τὸν Ορφεόν μνησάμεθα, τὸν δὲ ποτ' αὐτὸν
 Καλλίσπη θρήνοι φασὶζεται εὐνηδέσσα
 Οἰάγρη σκοτῖς πιμπλιδός ἀγχι τεκέδας.
 Principio igitur Orphei meminerimus, quem ipsa
 Fertur Calliope, cum sui fecisset copiam Thraci
 Oceano, genuisse prope speculare Pimplae.

¹ Tercentum) Spartani scilicet, quorum omnium nomina se sciscitatum fuisse testatur Herodotus in Polymnia cap. CCXXIV edit. Gronov. ἐπιδόμαν δὲ καὶ ἀπάντων τῷ τεμποσίῳ (Σπαρτιτέων τὰ οὐνόματα).

² Arma) Idem paulo ante: ἐπει γάρ εἴπισάμενοι τὸν μείλικοντα σφι
 ἤσθμα δάσταν ἐκ τοῦ περιόδου τὸ οὐρας, ἀπεδείκνυντο βάσιμος δύον
 εἴχον μέγιστον εἰς τοὺς βαρβάρους, παραχρεώμενοί τε, καὶ ἀπίστους.
 Δόρατα μὲν τὸν ποῖσι πλέοσι αὐτέων τηνικαῦτα εἰτύχασε κατεπηγότε πόδη,
 οἱ δὲ ποῖσι ξίφοις διεργάζοντο τοὺς Πέρσας. Quumque scirent impen-
 dere sibi necem ab iis, qui montem circumiverant, quantum-
 maxime roboris poterant, id in barbaros ostendebant, ingruentes ac
 se se intrudentes. Quorum plerisque quum iam lanceae difficitae es-
 sent, illi vero gladiis Persas obtruncabant.

INGENUARUM ARTIUM XENIA.

SCHEMATA QUINQUE & PYTHAGORICA.

IV.

*Schemata quinque sumus : 2 naturae arcana resepta
3 Timaeus nobis deber , & ipse probas.*

SPHAE.

1 Pythagorica) Veterum Philosophorum epigramma apud Mi-
chaëlem Psellum in Geometrica συρόμενη inventionem Pythagorae
vindicat quinque schematum , quae vulgo quinque corpora re-
gularia Platonis dicuntur , & de quibus agit Euclides in Stereo-
metria , libro scilicet XIII , XIV , XV , & XVI ,

Σχήματα πέντε πλάτων , αὶ Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε,
Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε , Πλάτων δὲ αὐτίδηλος εἰδίδαξεν ,
Εὐκλεῖδης ἐπὶ τούτοις κλέος περιεκτάτης ἐπενέζει .

Vertit Gulielmus Xylander pag.LII edit. Elzevir. CIC CIC XLVII,
*Pythagorae inventum sapientis , quinque Platonis ,
Pythagoras reperit , Plato quas docuitque , figuræ :
Proximus Euclides celebre est his nomen adeptus .*

2 Naturae) Timaeus in dialogo , cui Plato hujusce Locri Py-
thagorei Philosophi nomen inscripsit , Coelo , & quatuor elementis
dicta quinque schemata attribuit : igni scilicet pyramidem , seu
Tetraédon : aéri Octaédon : aquae Icosaédon : cubum sive He-
xaédon terrae : Coelo denique Dodecaédon . Late haec ibidem
sunt pertractata , & copiosius apud Platonicos ; strictim vero apud
Psellum .

3 Timaeus) De eo en illustre Platonis testimonium in Timaeo ,
seu verius in commentario ad Timaei librum , qui extat , περὶ Φυσιῶν Κόσμου , καὶ Φύσεων , de Anima Mundi , id est , Natura , pag.
MXLI edit. Francof. MDCII : Τίμαιος τῷ γέρει δύο , εὐνομωτάτῳ ὥν
πόλεων τῷ εἰν Γατελίᾳ Δοκείδος , οὐσίᾳ καὶ γένει οὐδενὸς ὑπερος ὡν τῷ
ἐκεῖ , τὰς μογίσας μὲν ἀρχάς τοι καὶ τίμαιος εἰν τῇ πόλει μοτικοχείστας , φι-
λοσοφίας δὲ αὐτοῦ , κατ' εἴμιν δόξαντος ἐπ' ἄκρων απάστου ἐπίλυσθε . Nam
& Timaeus hic cum esset e Locris civitate in Italia , optimis le-
gibus fundata , neque quoquam civium aut divitiis aut genere in-
ferior , summos in ea civitate & honores & magistratus gesit , & ut
ego arbitror , ad summum in omni philosophia fastigium pervoenit .
Et pag. XLVI : Εἴδοτε γέρει ήμεν Τίμαιος μὲν , ἀπὸ ἀσπρομικῶν ποτῶν
ημεών , καὶ περὶ φύσιῶν τῷ παντὸς εἰδίτης μάλιστα ἤργος πεποιημένος ,
τρό-

SPHAERA ARCHIMEDIS.

V.

*Ecce Syracosii tibi daedala Sphaera magistri,
Aemula quae coelo territat astra Jovi.*

PHILOLAUS.

VI.

*Quae scripsit 1 Philolaus habes, olim 2 emta Platonis
Et venit ad pluteos Graecia magna tuos.*

TELESCOPIUM GALILEI.

VII.

*Quo Medicea Jovis mireris sidera rotari,
Heros Lynceus mittit ab axe tubum.*

PRIS-

πρῶτον λέγειν, ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως, πελεκάνοντα δὶ εἰς
ἀρδεῖα τῷ φύσιν. Βιβλον εἴη enim nobis, ut Timaeus, utpote in Astro-
nomia nostrorum omnium peritissimus, & qui in Scientia naturae
Universi potissimum speram collocavit, primas dicendi partes suffi-
neret ab ipsa mundi generatione incipiens, & in hominum pro-
creatione finiens.

1 *Philolaus*) Hujuscē Crotoniatae Philosophī Pythagorei scripta
aetatem non tulere; ejus tamen sententia de Mundi Systemate in-
quam plurimis Astronomorum libris vivit. Hinc Ismaël Bullial-
dus quatuor libros *De vero Mundi Systemate* Philolaum inscripsit,
jam Amsterodami editos MDCXXXIX, & deinde Parisis anno
MDCXLV ejusdem Astronomia Philolaica in dias luminis oras
exorta est.

2 *Emta*) Laertius lib. VIII, segm. LXXXV: γέγραπτο δὲ βιβλίον
ὅν, δο φυσικὸν λέγειν τὰν συγγραφίων, Πλάτωνα τῷ φιλόσο-
φῳ περαγούμενον εἰς Σικελίαν πρὸς Διονύσιον αἰνέσσαθαι παρὰ τὴν συγ-
γενεῖαν τῷ Φιλολάῳ, ἀρνεῖσθαι Αἰλεῖαδικανὸν μετὰ μὲν καὶ ἔτειδερ με-
ταπεγραφήσαν τῷ Τιμaeo. Scriptor autem liberum unum; eum autem,
ut Hermippus quempiam scriptorem dixisse refert, Platonem Philo-
sopbum, cum in Siciliam ad Dionysium profectus esset, emissus
a Philolai consanguineis argenti minis Alexandrinis quadraginta et
aque inde transcripsisse Timaeum. Minae autem quadraginta, ut
ibidem annotat Aldobrandinus, ad pecuniae nostratis rationem si-
revocentur, nummos aureos quadringentos efficiunt.

PRISMATA VITREA.

VIII.

*Accipe quae varios adverso Sole colores
Iridis in terras vitra trigona trabunt.*

PYXIS NAUTICA.

IX.

*Quas dedit, ut pergas dotales Pallas Athenas,
Duxque comesque viae nautica Pyxis ero.*

LYRA.

X.

*Oria qua possis, & tristes fallere curas,
Orpheos ecce Lyram detulit Uranie.*

TABULA CHOROGRAPHICA.

XI.

*Hanc tibi do tabulam, qua tota est Graecia picta,
Pallados illa tuae regna, Geographia.*

LIVIUS.

XII.

*Ipsa tibi Decadas Romae, quas scripserat omnes
Livi, Heroum porrigit Historia.*

R**THEO-**

¹ Orpheos) M. Manilius Astronomicorum libro primo ver.
CCCXXIV - - - CCCXXX:

At Lyra diductis per coelum cornibus inter
Sidera conspicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu, manesque per ipsos
Fecit iter, domuitque infernas carmine leges.
Huic coelestis bonos, similisque potentia caussas
Tunc silvas, & saxa trabens, nunc sidera ducit,
Et rapit immensum mundi revolubilis orbem.

THEOPHRASTUS IN MEMBRANA.

XIII.

*Οὐ τοι ἡ μηγάποιη κακός τὸ ἀγαθόν τὸ τίτυρον,
Ο τε felicem! * Tyrtamus edocuit.*

XENOPHON IN MEMBRANIS.

XIV.

*Alter eris nobis Xenophon: salve 3 Attica Musa:
Salve Parthenope gloria, delicium.*

CLEPSYDRA.

XV.

*Secedat 4 Clepsydra, foro dum differis: horā
Est brevior nobis integer ipse dies.*

CA-

*1 Οὐ, ταῦτα) Quod sit in aedibus, illud sitne bonumve, malumve?
Designatur moralis Philosophia hoc versu Homeri CCCXCII
Odyss. IV, quem Socrates prae omnibus semper rebus sibi esse cor-
di dicebat, ut refert Gellius lib. XIV, cap. VI. Sextus Empiricus
lib. VII aduersus Logicos pag. CCCLXXIV, sect. XXI edit. Fa-
bric. καδὸν καὶ ὁ Σωκράτες περίγυμψε μηδὲν ἄλλο ζητῶν εἰ μὴ*

Οὐ, ταῦτα) Quod sit in aedibus, illud sitne bonumve, malumve?

*Quamobrem praecepiebat quoque Socrates nihil aliud quaerere, prae-
terquam*

*Aedibus in nostris quae prava, aut recta gerantur.
Scripsit Theophrastus, teste Laertius lib. V, segm. XLVII, Ηὔ-
την σχολέων, α', Scholarum moralium librum unum, qui perit.
Extant hodie ejusdem Morum descriptiones, Ήδμοὶ Χαρακτῆρες, ibi-
dem memorati, sed proh dolor! mutili, ut in Prolegomenis ostendit Isaacus Casaubonus, qui aureo commentario illos illustravit.*

*2 Tyrtamus) Laertius lib. V, segm. XXXVIII: Τοῦτον, τούτου
μορφήματον, Θεόφασον διὰ τὸ τῆς φράσεως θερίσιον Αἴσθεστόν με-
τωρόματον. Eum, cum antea Tyrtamo illi nomen esset, ob divi-
nam elocutionem, Aristoteles Theophrastum appellavit.*

*3 Attica Musa) Laertius lib. II, segm. LVII: ἐκαλέσθω δὲ καὶ
(Ξενόφων) Αἴτανος μοῦσα, γλυκώτερη τῆς Ἀριστοτέλης. Appellabatur au-
tem (Xenophon) Musa Attica, ob eloquentiae dulcedinem.*

*4 Clepsydra) Cui non dictus Hylas? mos videlicet, ut ad Clep-
sydrā*

CATENA AUREA.**XVI.**

*En tibi largitur Pitbo suo signa : ¹ catena est
Aurea, quae linguae pendet ab ore tuae.*

PARMENIDES.**XVII.**

*Unum, te docuit, quid sit, ² velut alter Apollo,
Illita & his chartis dogmata Parmenides.*

LE-

sydrām Oratores & Graeci, & Latini dicerent. Unus pro milibus sit vir magnus Budaeus noster Annotat. in Pandectas pag. CCCLXXII, & CCCLXXIII edit. Basil. M D LVII.

¹ Catena) Lucianus in Praefatione seu Hercule Gallico pag. CCCLXVI tom. II edit. Batavae M DC LXXXVII : ὁ γάρ δὴ γίρων Ἡρακλῆς ἵκανε, ἀνδράτων πάμπολυ τε πλέθος ἄλλα, ἐκ τῶν ὑπερ απότομας διδούμενους. δοσμαὶ δέ εἰσιν οἱ, σπραι λεπταὶ χασοῦ, καὶ ὑλίκηροι ἀργαστεῖν, δρυοῖς ἰοιδαῖς τοῖς καλλίσοις. Senex ille Hercules bominum ingentem multitudinem trahit, omnes ab auribus reuinatos. Vincula, quibus id facit, tenues sunt catenae, auro electro que confessae, pulcherrimis monilibus assimiles. Et paullo post: οὐ γὰρ ἴχωρ ὁ ζευράρος δῆδε ἔξαλι ταῖς σφράγεσσι τῷ διοργάνῳ αρχαῖς, αὐτὸς τὸς δέξιες μήν, ἥδη τὸ βόταλον, τὸ λαῖδας δὲ, τῷ τοξον ἐχούσης, τρυπάσας τῷ διοῦ τῷ γλύπταις ἄκρα, εἴς εἰκόνας ἱλιομένους αὐτοὺς ἴστοινος, καὶ ἴτερατατὰς γε εἰς τοὺς ἀγοριώνους μαδιῶν. Cum non haberet pictor, unde catenularum summas ansas netteret, videlicet dextra jam clavam, sinistra arcum tenente: perforata summa Dei lingua, ex hac illos traxi fecit: atque hic converxit ad eos, quos dicit, oculis arredit. Hinc suum effinxit Emblema CLXXXI Alciatus noster, qui primus, barbarorum sordi, iūs absterfis, Romanae Jurisprudentiae pristinum nitorem restituit, & Mulas, quas colimus, amavit.

² Velut alter Apollo) Oraculum primae Philosophiae est Academicis Eleates Parmenides Platonis.

LEGES XII TABULARUM.

XVIII.

¹ *Eunomia, & Themis ipsa tibi dat Δωδεκάδελτον,
Quam cultam ² Latio carmine reddideris.*

ASPHODELUS.

XIX.

³ *Asphodelum, longo vigeas ut flore juventae,
Hippocrates & campis mittit ab Elysias.*

NO-

¹ *Eunomia*) Filia scilicet Themidis. Pindarus Olympionic. Od. IX, antistroph. I, vers. VIII, IX, X urbem Opuntem laudans insit:

A', Θέμις θυγατρί τε οἱ
Σώτερες λέλογχες
Μεγαλόδοξος Εὐρυπίδης.
Quam Themis & filia ejus
Servatrix sortita est,
Magni nominis Eunomia.

² *Latio carmine*) Eunomiae, & Themidis tibi jussa capessere fas fuit in vetere Noeodeseis S. P. Q. R. Hanc exofculati sumus insertam, pag. CCXCVII - - - - CCCLX, immortali tuae Republicae Jurisconsultorum, quam candidi ingeniorum aestimatores Viri principes Academiae Lipsiensis in Actis Eruditorum anni MDCCXXXIV summis laudibus extulerunt. Jam antea eorum collega clarissimus Fridericus Otto Menkenius statim post primam Neapolitanam, alteram tanti Operis indeosit Lipsiae elegantissima ad te epistola instructam in gratiam Germanae gentis curaverat.

³ *Asphodelum*) Hesiodus in Eryxios, καὶ Ημίρας vers. XL, XLI:

Νήπιοι· οὐδ' ισασιν δύο τλίοις ἡμίους τάντος,
Οὐδ' δοσοιν εἰ μαλάχη τε καὶ ασφόδελφοι μέγιον ὄντες.
Stulti: neque sciunt quanto plus dimidium sit tote,
Neque quam magnum in malva, & asphodelo bonum.

Memor est Hesiodi Theophrastus Histor. Plant. Lib. VII, cap. XII, pag. CXLVII edit. Heinl. τοῦτο δὲ εἰς τροφὴν (οἱ ασφόδελοι) παραχέται χρήσιμα. καὶ γὰρ οἱ ἀνθέτεροι εἰδῶμενοι σαδωμένοις, καὶ τοπίρια φρυγάνινοι. πάντοι δὲ μαλισκαὶ ῥίζαι κοπτομέναι μετὰ σύκου. καὶ πλεῖστην ὄντοι εἶχαν καθ' Ήσιόδον. Per multa ad cibum (asphodelus) afferat utilia. Quippe albuscum testum in cinere manditur, & semen

tor-

terrefactum usui est. Sed radix tusa cum fico in usum maxime omnium venit, & utilitatis plurimum, auctore Hesiodo, praebet. *Hic Theophrasti locus, unde sua corrasit Suidas in voce Ασφόδελος, fugit diligentiam doctissimi Ludolphi Kusterii in notis ad illum Lexicographum.*

4 Campis mittit ab Elysia) Apud inferos Homericos incedunt Heroes per pratum, ubi asphodeli proveniunt, Odyss. XI, vers. DXXXVII, DXXXVIII:

Ως ἐφάμιν· Λυχή δὲ ποδάρεος Αἰανίδαι
Φοῖτη, μακρὰ βιβώσα, κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα.

Sic dicebam; anima autem pedibus celeris ΑΕacidae.

Abibat magnifice incedens per pratum, ubi asphodelus nascitur.

Perperam vertunt interpres, etiam Josua Barnes in nitidissima sua Homeri editione, per herbosum pratum. Et vers. DLXXI, DLXXII:

Τόδε μετ' Ωχώνα τελώθεον εύσενόσα
Θῆρας ὄμοι εἰλέντα, κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα.

Post hunc, Orionem ingentem animadverte

Feras simul venantem per pratum, ubi asphodelus nascitur.

Non sunt heic fidi interpres, qui redditum, per floridum pratum. Et XXIV, vers. XIII - - XVIII:

... αἴτα δ' ἵκοντο κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα,
Ἐγνάδα τε ναιούσι Λυχή, εἰδωλα καμόντον.

Εὖρον δὲ Λυχήν Πτηνίαδεων Α'χιλλος,
Καὶ Πατροκλός, καὶ ἀμύμονος Α'πλόχοιο,
Αἰαντός δ', ὃς ἀχιστος ἐν τῷ ἀδός τε, δέμας σε
Τῷν ἀλλαν Δαναῶν, μετ' ἀμύμονος Πτλείωντος.

... statimque pervenerunt in pratum, ubi asphodelus nascitur,
(rursus peccant interpres, per herbosum pratum)
Ubi habitant animae, simulacra mortuorum.

Invenerunt autem ibi animam Pelidae Achillis,

Et Patrocli, & strenui Antilochi,

Aiacisque, qui optimus erat specieque, corporeaque

Allorum Danaorum, post strenuum Peliden.

Recte Suidas: Ασφόδελος, το φυτόν. Ασφόδελός δέ, ὁ λειμών. Ασφόδελος. *Planta, quae vocatur asphodelus.* At asphodelός, pratum, in quo asphodelus nascitur. Et paullo post: προπαροξυσθεός δὲ αγαγνωστόν.

Οὐδέ δέσσον ἐν μαλαχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' δινειρ.

πόν δὲ τόπον, ἐν φύεται, ὅξυτοντεον· οἷς καὶ παρ' Ομήρῳ. Κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα. *Scribendum est* (ασφόδελος) *cum accentu in antepenultima* (Hesiodus:)

Neque sciunt quam suaviter & jucunde malva, & asphodelo

S vi-

**NOVEM MUSARUM IMAGINES
AD ARAM DELIACAM.**

XX.

*Phoebus habet templum: in medio 1 Ara est Delia: vota
2 Pro te Musarum nuncupat alma cobors.*

vivatur. At cum significat locum, in quo asphodelus nascitur, scribendum est cum acuto in ultima, ut apud Homerum: In prato, in quo asphodelus nascitur. Ασφοδελός Homeri est idem ac ἀσφόδελος κακίφυτος, ut distincte loquitur Lucianus De Luctu tom. II, pag. CCCI: περιαιθάρετος δὲ τὸν λίπαντα εἰς τὸν εἰρητόν, λεμνών υποδιχεταί μήγας, τῷ ἀσφόδελῳ κακίφυτος. Jam eos qui transmissa palude sunt ingressi, pratum amplum excipit asphodelo confitum. Et in Menippo seu Necyomantia tom. I, pag. CCCXXXII: εἰπόμενον δὲ τῷ ἀσφόδελῳ κακίφυτον, τῶν πρὸς λεμνῶν μέγιστον αφίκεούμενα, τῷ ἀσφόδελῳ κακίφυτον. Ego autem pone ipse abaserens sequebar, quoad in pratum quoddam maximum, & asphodelo confitum pervenimus. Hinc Asphodelus, ut ad rem notat ibidem Suidas, est planta Proserpinæ, & Manibus sacra: & Rhodii Proserpinam, & Dianam asphodelo coronans: Περισφόρης, καὶ χορταῖς (φυτοῖς) ιερόν. καὶ Ρόδιοι τὸν Κόρων, καὶ τὸν Αράτιον ἀσφόδελῳ σιδουσι.

1 Ara est Delia) Jamblichus De vita Pythagorae cap. V, sect. XXV edit. Kusteri: λέγεται δὲ περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον θεωρεῖσθαι τοὺς Δῆλους, προσελθόντας αὐτὸν πρὸς τοὺς αἰγαίους λαγόμενους, καὶ τοῦ Γερίκοπος (rectius legas καὶ τὸν τὸν Γερίκοπος) Αἴγαλον βαμψόν, καὶ τῶν περιτείχων. Eodem tempore & Delos admirabatur Pythagoram: cum ille scilicet ad Aram incurvantem Apollinis Genitoris accederet, eamque coleret. Hanc Aram ipse Medicinae, & Poëseos inventor Apollo, quum suis civibus Deliis, dum a peste vexabantur, duplari imperasset, toto terrarum orbe celeberrimam reddidit, ob geometrarum conatus, quos refert Euclius Ascalonita commentario in librum secundum Archimedis De Sphaera & Cylindro pag. XII --- XXIII edit. Basile. MD XLIII. Notatu sunt digna, quae de confugientibus Deliis ad Platonicos Academias geometras Eratosthenes in epistola ad Regem Ptolemaeum scribit, apud eundem pag. XX: μετὰ χρόνον δὲ πρὸς τοσοὺς Δῆλους ἐπιβαλομένης νόσου καὶ χρονικού διτλασιόστης παγὰ τὸν βαμψόν ἐπιταχθέντας, ἐμπεσεῖ, εἰς τὸν αὐτὸν απόρημα. διατεμενομένος δὲ πρὸς παρέ τῷ Πλατωνὶ ἵνα αἰκαδημιῶν γεωμετρας, αἴξιον αὐτὸς εἶπεν τὸ ζυπανύμαρον. Tempore autem quodam post ferunt Delios, quum a peste vexarentur, jussos per Oraculum duplare quandam Aram,

in

in hanc difficultatem incidisse, implorantes autem eos, qui tunc apud Platonem erant in Academia, postulare, ut quae situm ab eis inveniretur. Haec autem Ara erat Cubica, ut ait Plutarchus De Genio Socratis pag. D LXXIX edit. Francof. M DC XX: & Duplicatio Cubi, vere dixerim, est illa altera Penelope, quam tot antiqui Sapientes proci, immo & ipse Plato, si fides Eutocio, qui pag. XIII ejus exhibet tentamen, deperierunt. At Plutarchus ibidem testatur Platonem rem ad Discipulos retulisse, & Deliis, quid sibi vellet Oraculum, explicasse: οὐδὲ τοῖς λέγεται καλῶς ὑγουμέδω τὸν Χόνουφιν, καὶ μᾶλλον ὄπηρίκα κομιζομένος ἔμιν ἀτ' Αἰγύπτου, περὶ Καρέα Δηλίου τινὲς απόντας, διώμενοι Πλάτωνος, οὐς γεωμετρικοῦ, λῆσαι χρησμὸν αὐτῷς ἀπόποις ὑπὸ τὸν θεοῦ προβεβλημένον. οὐ δὲ χρησμὸς, Δηλίος καὶ τοῖς ἄλλοις Ελληνοῖς ταῦλαιν τὸν περόπον κακῶν ἐστόθε διπλασιάσας τὸν εἰς Δηλίφ βαμόρ. οὐτε δὲ τῷ Διανοιαν ἔκανοι συμβάλλειν δυνάμενοι, καὶ τινὶ τῷ τῷ βαμοῦ καπασικῶν γελοῖα τάσχοντα, (ἐκάστης γερ τῷ τισσαρῶν πλευρῶν διπλασιαζόμενης ἔλασον τῷ αὐξησει τῷ ποιητικὸν ὄχτατλάσιον απεργαστάμενοι, δι τοιερίσας ανάλογοις, η τῷ μήκει διπλάσιον, ταρέχονται) Πλάτωνα τῷς αποσχίας ἐπιπλανώντων βουδόν· ο δὲ, τῷ Αἰγυπτίῳ μηδέδεις, προσπάζοντα ἐπὶ τῷ θεῷ Ελληνοῖς, οὐλιγαροῦσι παιδεῖας, εἴοι εὑρισκόντα τὸν ἀμαδίαν ἔμων, καὶ καλεύοντα γεωμετρίας απτοσθει μὴ ταρεργουν. οὐ γέρ τῷ φαλον οὐδὲ ἀβλαβὺ διανοίας ὄρασης, ἀκριτὸς δὲ τοῖς γραμματος τοπομένης ἔργον οὔτε, καὶ δυοῖν μέσον, ανάλογον λῆπτι. ἡ μοτι διπλασιαζόνται. ξῆλα καβαῖον σύμματος, ἐκ τάστη ὁμοίως αὐξέμονος διπλάσιον. τῷτο μὲν οὐ Εὐδόξος αὐτοῖς τῷ Κνίδιοι, η τῷ Κύπρινοι Ελικώνια συντολίσαν, μὴ τῷτο διεσθαι χρῆναι ποδεῖν τῷ τῷ διοί, αλλὰ προσάσσαι Ελληνοι τάσι, πολέμου καὶ κακῶν μαδομένους, μοσσαῖς ὄμιλοῖς, καὶ διὰ λόγων καὶ διὰ μαδομασίων τῇ πάδῃ κατεπραύνονται, αβλαβεῖς καὶ ὄφελίμως ἀλλήλοις συμφέρονται. Nos & tuum Chonuphis sententiam probavimus, & magis etiam cum nobis ex Aegypto aeneolis, & circa Cariam navigantibus, occurserunt Deliis quidam, qui a Platone, utpote rerum geometricarum perito, flagitarent Oraculi explicationem, quod insolens ipsis Deus edidisset. Erat autem Oraculi bacē sententia: Deliis, & aliis Graecis, calamitatum finem fore praesentium, si Aram, quae in Delo erat Cubica, duplicarent. Cujus cum sententiam affequi non possent, & in Altaris structura ridiculum quid ipsis contigisset; singulis enim ex quatuor lateribus duplicatis, spatium solidum octuplo imprudentes auxerunt, ignoratione proportionis, qua duplicari magnitudo posset; Platoni operm in hac difficultate explicanda imploraverunt. Ille vero Aegyptii istius recordatus, ludi a Deo Graecos dixit, qui eruditioinem negligenter, eorumque insultari incitiae, mandari que, ut serio Geometriae operam darent non enim ingenii leviter aut

aut segniter perspicacis, sed in tractandis lineis maxime exercitati opus esse, datis duabus lineis, alias duas, quae continua proportione inter eas intercedant, invenire: quae quidem unica sit Cubi duplicandi ratio, ex aequo omnibus ejus auctis dimensionibus: rem iis ab Eudoxo Cnidio, (qui Platonis fuit auditor, ut ait Laertius lib. VIII, segmento LXXXVI) aut ab Helicone Cyziceno confectum iri. Neque vero Deum banc Arae duplicationem requirere, aut desiderare: sed universis praecipere Graecis ut bellis & miseriis ea comitantibus vitatis, Musis sese dedant, ac litterarum & doctrinae usu sedatis animi turbulentis motibus, innoxie & utiliter inter se convergentur. O praeclara verba divini Philosophi, & aeterna memoria dignissima!

2 Pro te) Pro tua salute, Vir praestantissime, qui publico bono natus, & a Sapientissimo Rege nostro CAROLO Judex electus in magno Neapolitano Dicasterio jus suum cuique tribuis. Vale carum caput, & me amare pergas.



INDEX

INDEX.

**JOHANNIS ANTONII SERGII AD LECTOREM
EPISTOLA.**

In princ.

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO

CARMINUM LIBER I.

M A G I S T R A T U S.

Elegia I.	M Unus difficile.	Pag. I
Elegia II.	Mens.	4
Elegia III.	Ingenuae Artes.	8
Elegia IV.	Jurisprudentia.	12
Elegia V.	Mores.	16
Elegia VI.	Nec Paupertas, nec Divitiae.	20

CARMINUM LIBER II.

N U P T I A L I A.

Elegia I.	A d Johannem Baptistam Vicum, in Nuptiis Jobannis Baptistae Filo- marino Principis Roccae & Mariae Victoriae Caracciolo e Marchionibus Sancti Erasmi.	23
Elegia II.	In Nuptiis Andreae Coppola Ducis Can- sani & Laurae Caracciolo e Marchio- nibus Amorufi.	26
Elegia III.	A d Amicos, in Nuptiis Antonii Pigna- zelli Marcbionis Sancti Vincentii & Annae Franciscæ Pinelli e Ducibus Acberontiae.	29
	T	Ele-

Elegia IV.	<i>In Nuptiis Cajetani Boncompagno-Laudovisi Ducis Arcis & Laurae Chisiae e Principibus Farnesii.</i>	38
Elegia V.	<i>Ad Amicos, in Nuptiis Jacobi Francisci Milano. Franchi de Aragonia Principis Ardoris & Henricae Carraciolo e Principibus Sandiboni.</i>	34
Ecloga	<i>Idem Argumentum.</i>	37
Lusus Piscatorius	<i>In Nuptiis Hadriani Carafae Trajetii Ducis & Thereseae Burghesiae e Principibus Sulmonis.</i>	42
Lusus Agrestis	<i>In Nuptiis Leonardi Tocchi Montimilium Ducis & Camillae Cantellae e Populorum Ducibus.</i>	45
Epithalamium	<i>In Nuptiis Serenissimi Antonii Farneii Ducis Parmae, Placentiae, Castri &c. ac Serenissimae Henricae Estenis</i>	49
Epigramma I.	<i>In Nuptiis Thomae Caracciolo Marchionis Casae Arboris & Hippolytae de Dura.</i>	55
Epigramma II.	<i>In Nuptiis Raymundi Sangrii Principis Sandi Severi & Carolottae Cajetaneae e Ducibus Laurentiani.</i>	56
Epigramma III.	<i>In Nuptiis Antonii Capycii-Minutuli e Principibus Canufii & Thereseae Flingeriae e Principibus Arianelli.</i>	57
Epigramma IV.	<i>Ad Viri Acorem.</i>	ibid.
Epigramma V.	<i>Ad Iconem Spousae.</i>	ibid.
Hendecasyllabi	<i>In Nuptiis ejusdem Andreae Coppola Ducis Cansani & Laurae Caracciolo.</i>	58

C A R M I N U M L I B E R III.

V A R I A.

Elegia I.	I N funere Cajetani Argenti Sac.
Elegia II.	I Reg. Consitii Neapolitani Praefidis.
	<i>Idem argumentum, ad Alexium Nicolaum</i>

Elegia III.	<i>colam Rossi.</i>	63
	<i>Ad Johannem Baptisam Capassum,</i> <i>dum Johannes Baptista Salernus &</i> <i>Societate Jesu sacrâ Purpurâ insi-</i> <i>gnitur.</i>	66
Elegia IV.	<i>Dum Archangelus Brancatius Ordi-</i> <i>nis D. Benedicti, Abbas Monasterii</i> <i>Montis Casini eligitur.</i>	69
Ecloga	<i>Dum Princeps Emmanuel de Vilbena</i> <i>Magnus Sacrae Religionis Hiero-</i> <i>lymitanae Magister eligitur.</i>	72
Epigramma I.	<i>Rex noster Carolus Borbonius adit</i> <i>Templum Spiritus Sancti, ejus</i> <i>die festo.</i>	76
Epigramma II.	<i>In Arcu dextero Fori, ubi institu-</i> <i>tæ sunt Nundinae Neapoli apud</i> <i>Castrum novum, ob nuptias ejus-</i> <i>dem Rgis Caroli Borbonii cum</i> <i>Maria Amalia Walburga.</i>	ibid.
Epigramma III.	<i>In arcu opposito.</i>	77
Epigramma IV.	<i>Ob natam Primogenitam ejusdem Ro-</i> <i>gis, in foribus Regii Palatii.</i>	ibid.
Epigramma V.	<i>Latere ex uno.</i>	78
Epigramma VI.	<i>Altero ex latere.</i>	ibid.
Epigramma VII.	<i>In elata Turri.</i>	79
Epigramma VIII.	<i>Ubi congiarium populo datum.</i>	ibid.
Epigramma IX.	<i>In Cella Vinaria Nundinarum, quae</i> <i>aestivis temporibus actæ sunt ad</i> <i>Sebetum.</i>	80
Epigramma X.	<i>In loco, quò apud easdem Nundinas</i> <i>exstructus est, ubi equus maira praœ-</i> <i>bebat spectacula.</i>	ibid.
Epigramma XI.	<i>In harum Nundinarum Pinacoteca.</i>	81
Epigramma XII.	<i>Ibidem, ad Crucifilariam Tabernam.</i>	ibid.
Epigramma XIII.	<i>Ob Puellam, quae sacris in Clausiris</i> <i>sè Deo devovet.</i>	82
Epigramma XIV.	<i>In Iconem Scipionis Cigalæ, e Prin-</i> <i>cipibus Tirioli, quae est appicata</i>	Tra-

	<i>Tragoediae typis editae , cui ti-</i>	
	<i>tzlus Cleopatra.</i>	83
Epigramma XV.	<i>Ante fores Domus , Neapoli in lito-</i>	
	<i>re Olympiaco (vulgo Chiaja) positae. ibid.</i>	
Epigramma XVI.	<i>Ad P. Bernardum Mariam Giacchi e</i>	
	<i>Capuccinorum familia. ibid.</i>	
Epigramma XVII.	<i>Ad fontem in sacris Virginum clau-</i>	
	<i>bris salientem. 84</i>	
Epigramma XVIII.	<i>Idem argumentum. ibid.</i>	
Epigramma XIX.	<i>Ad P. M. Philippum Gatti Ordin.</i>	
	<i>Divi Augustini , sacrum Oratorem</i>	
	<i>in Templo Spiritus Sancti , Neapoli. ibid.</i>	
Epigramma XX.	<i>Ad P. Michaelm Angelum e Regino ,</i>	
	<i>Capuccinorum famil. sacrum Ora-</i>	
	<i>torem in Majori Neapolitana Ec-</i>	
	<i>clesia. 85</i>	
Epigramma XXI.	<i>In vestibulo Historiae Familiae de</i>	
	<i>Montalto , etrusce ab Amatore con-</i>	
	<i>scriptae. ibid.</i>	
Epigramma XXII.	<i>In Arboreno Familiae de Montalto. 86.</i>	
Epigramma XXIII.	<i>Deiparae Immaculatae. ibid.</i>	
Epigramma XXIV.	<i>Aureo Seruo Deipara praecingitur. ibid.</i>	
Epigramma XXV.	<i>Tumulo Ducus Berwickii. 87</i>	
Epigramma XXVI.	<i>Ibidem. 88</i>	
Epistola	<i>Clar. Friderici Menckenii ad Au- to- rem. 89</i>	
Elegia	<i>Auctor rescribit. 97</i>	
Judicium	<i>Clarissimorum Virorum , qui Lipsiae Eruditorum Acta conscribunt , de Republica Jurisconsultorum. 101</i>	
Elegia	<i>Auctor iisdem Clar. Viris respondet . 110</i>	
Epistola	<i>Cl. Ludovici Antonii Muratorii ad Au- to- rem. 112</i>	
Elegia	<i>Eidem doctissimo Muratorio Auctor respondebat. 114</i>	

FRAN-

FRANCISCI GALLUPPI
AD AVCTOREM EPIGRAMMATA.

Epigramma I.	117
Epigramma II.	118
Epigramma III.	ibid.

INGENUARUM ARTIUM XENIA.

Epigramma IV.	<i>Schemata quinque Pythagorica.</i>	119
Epigramma V.	<i>Sphaera Archimedis.</i>	120
Epigramma VI.	<i>Pbilolaus.</i>	ibid.
Epigramma VII.	<i>Telescopium Galilei.</i>	ibid.
Epigramma VIII.	<i>Prismata vitrea.</i>	128
Epigramma IX.	<i>Pyxis nautica.</i>	ibid.
Epigramma X.	<i>Lyr.</i>	ibid.
Epigramma XI.	<i>Tabula Chorographica.</i>	ibid.
Epigramma XII.	<i>Livius.</i>	ibid.
Epigramma XIII.	<i>Theophrastus in membrana.</i>	122
Epigramma XIV.	<i>Xenophon in membranis.</i>	ibid.
Epigramma XV.	<i>Clepesydra.</i>	ibid.
Epigramma XVI.	<i>Catena aurea.</i>	123
Epigramma XVII.	<i>Parmenides.</i>	ibid.
Epigramma XVIII.	<i>Leges XII Tabularum.</i>	124
Epigramma XIX.	<i>Aphodelus.</i>	ibid.
Epigramma XX.	<i>Novem Musarum imagines ad Aram Deliacano.</i>	126

EMI-

EMINENTISS. SIGNORE.

Giovanni de Simone , Stampatore in questa Città , sup-
plicando espone a V. E. come desidera dare in luce un
volume di *Poesie Latine* del Giudice della G.C. della Vica-
ria D. Giuseppe Aurelio di Gennaro . Ricorre perciò da V.E.
e la supplica della licenza , che riceverà a grazia , ut Deus.

*Dominus Canonicus Dr. Alexius Symmachus Mazochius,
in Regia Universitate Primarius Antecessor revideat , & in
scriptis referat . Datum Neapoli hac die 2. Junii 1742.*

D.CARMINUS CIOFFI EPISC. ANTINOP. VIC.GEN.
Can. Julius Tornus Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Quae duae res in poëtica ratione singulae non minimum
poëtae decus conciliant , aut prodesse . . . aut dele-
ctare , quod summus ejus disciplinae artifex docuit :
eae porro si in unum conferantur ; tum vero existit nescio
quid illud magnum ac singulare , quod in arte omnium dif-
ficillima , tamen queas dicere numeris omnibus absolutum ;
quodque non modo homines capiat , sed & feras ipsas mol-
liat ac mansuetas efficiat . Ac sane quidem legenti mihi jus-
ser Tu Josephi Aurelii de Januario J. C. clarissimi atque eru-
ditissimi *Carmina* , cum simul euidem intima voluptate per-
funderer , simul ex ea lectione quotidie doctior moratoriumque
discederem ; venit in mentem cogitare , hoc illud esse , de
quo idem summus facultatis hujus Magister pronuntiavit (1)
*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci ,
Leorem delectando pariterque monendo.
Hic meret aera liber Sofis : hic & mare transit ,
Et longum noto scriptori prorogat aerum .*

Quo-

(1) In Arte v. 343.

Quocirca gratulator huic Civitati; quod sicut olim, vix dum
renaſcentibus litteris, Actios, Pontanos, Rotas, totque alios
primi ſubſellii vates protulit; ſic ne nunc quidem ab ea lan-
de desciverit, ſed in ea optime gradum ac dignitatem ſuam
tueatur. Ceterum quod ad editionem horum praeclarorum ſimo-
rum *Carminum* attinet; tantum abeft, ut ei editioni vel mi-
nima judicio meo afferatur mora, ut potius per ea m non
minus Divinae Religionis atque honestatis, quam rei littera-
riæ rationibus conſultum iſi, augurer. Datum Neapoli VII.
Idus Jul. An. 1742.

*Huius illius, Addictiſ. & Objec-
tiviſ. cliens
Alexius Symmachus Mazochius.*

*Attenta relatione Domini Revisoris, Inprimatur. Datum
Neapoli bac die 20. Jul. An. 1742.*

D. CARMINUS CIOFFI EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

Can. Julius Tornus Dep.

S. R. M.

Giovanni de Simone, pubblico Stampatore Napoletano umil-
mente rappreſenta a V. M., come desidera dare alle
ſtampe *Le Poefie Latine* del voſtro Giudice della G. C. della
Vicaria D. Giuſeppe Aurelio di Genaro. Supplica perciò la
M. V. commettere a chi meglio le parerà la revisione; af-
fin di ottenerne il ſuo Real beneplacito, ut Deus.

D. Nicolaus Capiffus, Primarius Juris Civilis Profeffor
videat, & in ſcripsis referat. Neapoli die 26. Junii 1742.

C. GALIANUS ARCHIEP. THESSALON. CAP. M.

S. R. M.

S. R. M.

Quius imperium tuum, DOMINE, pro meo jure exequi
deberem, sedulo perlegi librum, quo D. Josephi Au-
relii de Januario M. C. Vicariae Judicis Poëmatia con-
tinentur. Ibi quod Regio Juri aduersetur, ne per umbram
quidem deprehendere quidquam licuit. Quod vero ad mores
attinet, nullum prorsus verbum offenditur (rare in poë-
tis exemplum) quo modestia pudore vel minimum labefac-
tentur. Cum igitur auctor sollertissimus in dubium nos ad-
duxerit, sit ne in Juris Consultorum Republica, in qua
laudes a praestantissimis Insubriae, Germaniaeque viris insig-
niter obtinuit, an in Literatorum Senatu, ubi tot digne
jam pridem munera explevit, ille prior evaserit, poterit
ad publicos usus hoc Opus operis typographicis in vulgus
prodire; si meae huic sententiae Suprema Tui auctoritas ac-
cesserit, cuius Regale Solium animo veneror demisso. Nea-
poli Nonis Quintilibus A. 1742.

*Humillimus Subditus, atque Addidissimus Servus
Nicolaus Capassus.*

Die 24. Mensis Julii 1742. Neapoli.

*Viso rescripto S. R. M. sub die 18. currentis mensis, ac
Relatione facta per D. Nicolaum Capassum, de commissione Re-
verendi Regii Capellani Majoris, praevio ordine praefatae
Majestatis.*

*Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque
mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis
supplicis libelli, & approbationis dicti Revisoris; & in
publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum.*

MAGIOCCO DANZA CASTAGNOLA.

Ill. Marchio de Ipolito Praeses S. R. C. & Ill. Marchio Fra-
gianni tempore subscriptionis impediti.

Athanafius.

